


DE
CANONICORUM CATHEDRALIUM
JURIBUS, AC MUNERIBUS

EX VETERI AEQUE, AC NOVA
ECCLESIAE DISCIPLINA

AUCTORE

VINCENTIO PESCE
CATHEDRALIS ECCLESIAE AVERSANAE
CANONICO THEOLOGO.





NEAPOLI 1798.
EX REGIO TYPOGRAPHIO VINCENTII URSINI.
Publica auctoritate.



Magnum quiddam, magnum, inquam, est Ecclesiae Praelatio, & quae multa indiget sapientia, & fortitudine.


S. Johan. Chrysost. homil. 59. in Johan.



EXMO, AC RMO DNO

D. FRANCISCO DE TUFO

AVERSANORUM ANTISTITI
MERITISSIMO.



INvenuſtum, illiberalem, inelegantem primum hunc ingenii mei foetum, Amplisſime Praeſul, poſtquam pervicerunt amici, ut vel invitus publici juris facerem,

cui potissimum cederet, cujusve se in clientelam daret, diu mihi deliberandum non fuit. Tot enim sunt & amoris significationes a Te profectae, & benevolentiae argumenta, & beneficia in me humanissime collata, ut hominum ingratissimus audirem, si tot nominibus Tibi obstrictus, ac veluti res mancipi Tibi devotus, hanc mihi occasionem mei erga Te obsequii, venerationis, gratique animi publice probandi imprudens paterer elabi. Accessit alia, & quidem gravissima ratio, quae me perlubentem, ac satis incitatum in id consilii magis perpulit, singularis nempe illa Tua divinarum rerum peritia, quibus quodammodo innatus es, Legumque Ecclesiasticarum notitia excellens adeo, ac peculiaris, ut aliquid ego in hoc argumentum commentaturus Judicem rebus hisce dijudicandis opportuniorem Te neminem pos-

sim

ſim appellare. Sed illud, etiam me tacente, in oculos omnium incurret, nimirum cum id mihi propoſitum fuerit, ex venerabili antiquitate omnia expiſcari documenta, quo Presbyterium conjunctis animis, ſtudiiſque una cum Epiſcopo ſuo citra ullam invidentiam, pravamque aemulationem, ſola caritate duce, Chriſti Eccleſiam adminiſtraſſe docerem; hic me FRANCISCUM DE TUFO Averſanorum Antiſtitem optimum, vetuſtorum illorum Praeſulum inſtar & exemplar rudibus licet lineamentis expreſſiſſe. Cui enim ſive Tuorum, ſive exterorum latere queat, Te praeclariſſimum Paſtorem, aureae illius aetatis aemulatorem diligentiſſimum nihil, niſi cum Capitulo Tuo, quod ſane paterne, ac impenſe diligis, quod perpetuis honoribus augere non intermittis, communicatis conſiliis perficere, aggredi, moliri, atque, ut ita di-


dicam, ne cogitare quidem? Quae cum ejusmodi sit instituti Tui rectissima, ac sapientissima ratio, illud etiam maximopere curas, in eoque omnem industriae Tuae sagacitatem collocas, ut peritissimos viros, omni doctrinae, morumque laude florentes Collegio adscribas, quibuscum Ecclesiae Tibi creditae procurationem summa cum animi tranquillitate, nec sine maxima gloria, partiri possis. Quo fit etiam, ut Canonici Tui, Te duce, atque a Te informati, tantum sibi decoris ubique comparaverint, quantum, non ego, cujus res agitur, sed finitimae Metropoles honorificentissime contestantur. Sed enimvero poenitet me tantillum hic laudum Tuarum adspersisse; nam modestiae Tuae minime me incommodaturum praesens in os recepi. Accipe ergo hoc qualecumque obsequii, atque observantiae meae testimonium, ac

pi-

pignus; meque, ut facis, benevolentia, ac patrocinio Tuo fovere pergito.

Excel. Tuae Rmae

Addictissimus, & obsequentissimus
Vincentius Canonicus Pesce.



MUNERA
AC JURA PRESBYTERII
PER OMNES ECCLESIAE AETATES DEDUCTA.


EA vulgo imperitis rerum aeſtimatoribus inſedit opinio, Canonicorum munia ſatis quidem amplitudine ſua conſpicua, anguſtiſſimis Odei, quo Divinas celebraturi laudes conveniunt, definiri. Abſurdam plane opinionem, & ſatis incommodam! Ea quippe ſemel imbuti vix ullius momenti homines in Eccleſiaſticos, quibus Canonici augentur, proventus, oculos unice intendentes, & in altiorem, quo ſupra ceteros Miniſtros provehuntur, gradum ;. commodioris, & honoratioris vitae amore inflammati, Canonicatibus aperto ore inhiant, infeliciſſimos ſe ſe mortalium rati, donec concepti voti compotes fiant. Hinc importunae petitiones illae, ambitioſae concurſationes, concertationes, contentiones, jurgia, lites, quibus hiſce praeſertim temporibus Epiſcoporum, & Principis ipſius auguſtis auribus obſtrepunt, ac negotiorum mole pene oppreſſos, cum reſpirare opus eſſet, ad faſtidium uſque interturbant, angunt, diſcruciant. Duo hinc in Chriſtianam rem non levia proficiſcuntur mala. Primum illud, quod quae Canonicorum partes ſint, penitus ignorantes, nil pene operae collocant in ea non vulgaris doctrinae ſupellectili comparanda, qua iis explendis omnino indigerent. Alterum, nec minus grave, quod ſi quis forte ea ſapientia, quae Eccleſiae deſiderio reſpondeat, praedi-

tus in Collegium adſciſcatur, nihil aliud ab ſe expeti demum praeter Divini Officii recitationem putans, ignavam, ac prorſus deſidioſam vitae rationem instituat. Atqui non id antiquitas, non id Patres, non id ſacratiorum Conciliorum Canones ſatis umquam habuere. Eccleſiaſticum Ordinem, eum praecipue, qui Epiſcopis Senatus loco eſt, non otii locum, eſſe, aut mollioris quietis, ſed operis, ſed laboris, ac totius ſollicitudinis; in aliorum commodum, in populi utilitatem, ac ſalutem, non ſibi vivere oportere, qui Eccleſiaſticae militiae ſemel nomen dederint, & ſacrorum librorum auctoritas, veneranda Traditio, ac Sacerdotii natura ipſa diſertiſſimá clamant voce. Optime Guillelmus Pariſienſis de *Collat. Benef. cap. 4. Canonicus nomen eſt Officii, operis, & militiae Clericalis*. Quibus auctoritatibus, qua par eſt, reverentia obſequentes; immo iis Ducibus, ac Magiſtris id laboris ſuſcepimus, ac libentiſſime, ut memoratam turpiſſimam perſuaſionem ab Eccleſiaſticorum virorum animis ſi ſorte fieri poteſt ſtirpitus evellamus, in id unice intenti, ut per ſingulas Eccleſiae aetates, quae jura, quae munia Presbyterii fuerint, qua majori in nobis fuit accuratione edoceamus. Et tripartita quidem erit haec integra diſputatio eo procedens ordine, ut in prima veteris Presbyterii jura, ac munia proſequamur; in altera veteris Presbyterii jura eadem, ac munia in Canonicorum Collegia transfuſa explanemus; in tertia denique Capituli noſtri Averſani Conſtitutionem primigenam, ac ſtatum hodiernum aperiamus. Lectores interim monemus, ac ſincere proteſtamur non eo nos conſilio ad ſcriptionem animum appuliſſe, uti aliquid de Epiſcoporum dignitate, aut juribus, qualia nunc vigent, detractum ulla ex parte velimus; ſed ut innoteſcat unice, qua ſapientia, qua peritia, qua rerum uſu Canonicos pollere oportet, quos productis ex Sanctuario teſtimoniis Epiſcoporum Adminiſtros, eorum-

eorumque Consiliarios *Natos*, ut loqui amant, prolixe docebimus.

MUNERA, AC JURA VETERIS PRESBYTERII.

PResbyterii, quemadmodum & Episcopatus, divina origo est, divina missio. Episcopi quippe, ac Presbyteri, licet non eodem modo, ab ipso tamen Auctore suo Christo-Jesu, qui Sacerdos est in aeternum, & Episcopus animarum nostrarum, diserte audierunt: *Ecce ego mitto vos*; quibus verbis ea illos auctoritate instruxit, quam a Patre acceperat, nimirum: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Episcopatus ergo, ac Presbyterii munia etsi non eadem, atque aequalia prorsus; ita tamen paria, ac similia sunt, qua parte praesertim Animarum cura, ac ovium pastio continetur, ut iisdem plane nominibus ab ipsis Ecclesiae incunabulis utriusque Ordinis Sacerdotes in Novi Testamenti paginis honestentur.

Atque ut hinc ordiamur, illud non minimum est, immo maximae dignitatis argumentum, quod Apostolica scripta penitius rimanti utriusque Ordinis Sacerdotes cognomines olim fuisse appareat, ut vicissim Presbyteri nomen Episcopis, & Episcopi Presbyteris passim adscribatur. Et de Episcopis quidem Presbyterorum appellatione nuncupatis ecce tibi perquam luculenta testimonia. Illud in primis *I. ad Timot. IV.* 14. *Noli negligere gratiam, quae est in te cum impositione manuum Presbyterii*. Agitur hic certe de consecratione Episcopi, in qua nihil efficit Presbyteralis Ordo, ut procul dubio hinc colligere liceat Presbyterium, de quo hic sermo est, Episcoporum Senatum designare, qui ad Timothei inaugurationem convenerint; sicuti hodiedum in Ecclesia obtinet; ut tres saltem Episcopi in ordinatione Episcoporum auxiliares manus afferant. Adposi-

te Chryſoſtomus : *ου γαρ περι πρεσβυτερων ενθαυθα φησι· αλλα περι επισκοπων· ου γαρ δε πρεσβυτεροι των επισκοπων εχειροτονουν*. Sed piget me in re tritiſſima hic diutius immorari. Vulgare enim eſt illud Principis Apoſtolorum, qui ſe Compresbyterum nominat *epiſt. I. cap. 5. πρεσβυτερους τους εν ὑμιν παρακαλω. ὁ συμπρεσβυτερος*. Et illud *Joh. 2. cap. 1. ὁ πρεσβυτερος* Εκλεκτῃ *κυριᾳ*: & iterum *Epiſt. 3. cap. 1. ὁ πρεσβυτερος* Γαΐῳ. Denique illud Apoſtoli ad Titum : *Ideo reliqui te Cretae, ut conſtituas per Civitates Presbyteros*, qua appellatione certe Epiſcopos designat; ſubdit enim Epiſcopi munia percenſens eodem *cap. 1. oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*.

De Epiſcopi porro nuncupatione Presbyteris itidem communi quaeſtio aliquanto impeditior eſt propter nonnullos in diverſa abeuntes. Si vero rem attentius diſpiciamus, nullum nobis ambigendi locum relictum iri confido. Et certe oculos in epiſtolam ad Philipp. conjicienti ipſa inſcriptio fidem profecto faciet, non licere impune aliter ſentire. Ea autem sic ſe habet: *Paullus, & Timotheus . . . omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus*. Quinam ſunt quaeſo hi Epiſcopi, ad quos simul cum Diaconibus, praetermiſſis ſecundi ordinis Sacerdotibus, epiſtola data eſt? Numquidnam Philippenſium Ecclesiae plures Epiſcopi contra Apoſtolicos, ac Nicaenos Canones praeerant? Omnino cum Chryſoſtomo, ac pleriſque aliis tum Graecis, tum Latinis reputandum eſt, Epiſcopi nomen Apoſtolorum tempore fuiſſe etiam & Presbyteris commune. Nam illos non moror, qui finitimarum regionum Epiſcopos hic indigitari autumant; quod nimis frigidum eſt; cum diſerte inſcribatur Epiſtola *omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus*: quemadmodum enim nemo dixerit, Fideles, & Diaconos hic ſalutari vicinarum Civitatum;

ſic

sic perperam intelligerentur & urbium finitimarum Episcopi. Nec ratio illa, quod epistola haec vicinarum Civitatum Episcopis communicari debuerit, adversae sententiae satis valide patrocinatur. Nam primo nil commune habet inscriptio cum litterarum Apostolicarum communicatione; alioquin cum Apostolicae litterae in plurimis, immo in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis religiose perlegerentur, omnibus Ecclesiis inscriptae dicendae forent. Deinde non semper eo consilio scribebant Apostoli, ut eorum litterae ad peculiarem aliquam datae Ecclesiam, in altera legerentur: licet venerationis caussa statim ubique vulgarentur. Apostolus certe id semel tantum fieri jussit, epistolam a se ad Colossenses scriptam in conventu Laodicensis Ecclesiae recitari.

Sed ad alterum Actuum Apostolicorum textum propero, qui mihi prae ceteris in deliciis est; tum quod Episcopalis nomenclaturae Presbyteris communicatae diserta ibi mentio habeatur; tum vel maxime, quod longe pulcherrima Presbyterii praerogativa ibidem consignetur. Ergo narrat Lucas Paullum Mileto Ephesum misisse, qui majores natu (Graece ubique Presbyteros) ad sese convenire juberent. Hi porro Presbyteri nonnisi secundi Ordinis Sacerdotes accipiendi sunt; nam quo minus Episcopi proprie dicti intelligantur, laudati Canones obstant, ne plures in una Ecclesia Episcopi ordinentur. Cum vero nonnulli crambem hic etiam recoquant conterminarum urbium nescio quos Episcopos obtrudentes, cogimur ejusdem textus luculentissimis verbis eos coarguere, ubi sic legitur: *Mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiae*. *Ecclesiarum* dixisset, si vicinos Urbium Episcopos congregatos intelligi vellet. *Ecclesiae*, porro, cujus nam, nisi unius Ecclesiae Ephesinae? Accedit & alia ratio gravissima; in concione quippe Paullus praedicit fore, ut ex illis ipsis, quos alloquebatur, exsurgerent viri perversa loquen-

tes, discipulos post se se abducturi. Neminem vero Episcoporum sive Ephesi, sive septem Ecclesiarum, de quibus sermo in Apocalypsi, quae sedes forte Ephesinae suberant; neminem, inquam, ex monumentis veteris historiae Sectarium fuisse constat, qui luporum instar gregi non parcerent, ac misere dilaniarent. A Patribus nobiscum sentientibus Chrysostomo, Theodoreto, Isidoro Hispalensi in re notissima abstineo. Sed omitti sine piaculo nequit antiquissimus, idemque gravissimus Irenaeus: *In Mileto*, ait, *cap.* 14. *n.* 2. *lib.* 3. *convocatis Episcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheso, & reliquis proximis Civitatibus . . . adjecit . . . attendite . . . utrumque enim nomen habebant illo tempore.*

His ita constitutis ad hosce Presbyteros sermonem habens Paullus Episcopos dilucide appellat illis verbis: *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* At verebitur fortasse quispiam paullo infirmior, ne periculum Episcopali Dignitati creetur, si Presbyteri etiam a Spiritu S. in Pastoralis curae consortium una cum Episcopis vocati dicantur. Nae iste cum hac religione sua odio dignus est, quasi vero nos parum moveat Episcopalis Dignitas, seu potius Catholicum Dogma, quo Episcopos supra Presbyteros longe eminere contra Aërium cogimur fateri. Nimirum hunc errorem debito anathemate prosequentes, illud tuto, & Catholice dicimus, & Episcopos, & Presbyteros Ecclesiae regimini praefectos, illos quidem sub Romano Pontifice Catholicae Ecclesiae Episcopo; istos sub singulis Ecclesiarum Pastoribus. Nec video, cur haec Paulli verba ad Episcopos, ac Presbyteros in commune referri nequeant, quandoquidem & illa Servatoris Nostri Matth. ultimo: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare omnia, quaecumque praecepi vobis*, ad Episcopos aeque ac Presbyteros diriguntur, cum hi postremi sub Episcopo & doceant, & baptizent. Ni-

Nihil interea nobilius, nihil, ad Presbyterii decus quod attinet, gloriosius excogitari potest, quam si ad Ecclesiae Praefecturam una cum Episcopis & sub Episcopis tenendam a Spiritu S. positi asserantur. Quae sane Praefectura quam late pateat, quaeve, & quam gravia complectatur disserere aggrediar statim ac antiqui Presbyterii formam ex Judaicorum rituum institutis petitam breviter exposuero. Principio quidem terreni quicumque Principatus ad illius Imperii normam expressi sunt, cui summus ille praesidet Deus, de quo scriptum est: *Regnum tuum Regnum omnium seculorum, & Dominatio tua in omni generatione, & generationem*. Hic porro etsi nullius indigens auxilio unus ipse omnia in omnibus operatur, pulcherrimam regiminis speciem exhibiturus, unde sibi exemplum humanae Dominationes arcessant, concilio Sanctorum suorum, veluti quodam senatu amplissimo circumdatus in Scripturis describitur, quibuscum & consilia agitare, & deliberationes inire, quosque rerum graviorum ministros adciscere consuevit. Hinc Deus ipse Moysem jussit septuaginta sibi viros de senibus Israël aggregare, eosque secum ducere ad ostium Tabernaculi foederis, qui parte spiritus, qua ipse multandus erat, adaucti, onus Populi secum substinerent, ne ipse solus gravaretur. Ita comparati a Deo viri statim prophetare coeperunt, spiritu exinde numquam deficiente. Et id quidem in civilibus rebus. At inde etiam exemplum sumtum est in Judaica Hierarchia efformanda, in qua sub uno Pontifice frequentissimi Sacerdotes, ac Levitae illius adjutores sacra procurabant. Quid quod Synedrium ejusdem regiminis imaginem refert ad res, causasque gravissimas cognoscendas institutum? Constabat autem Patribus LXX. qui in aula Hierosolymitani Templi considentes summa potestate judicabant. Praeerat huic coetui praeter *Nasi*, seu Principem, alter, qui illius vice fungebatur Ab-

 Beth-

Beth-Din, ſive Pater Domus judicii, cui ſuccedebat alter Chacam nomine nempe ſapiens, ceteri Patres Senatores audiebant. Et hunc quidem Oecumenicum quemdam totius Gentis conſeſſum appellaveris. Erant vero & peculiares ſingulis Synagogis Praefecti, ubi Princeps Synagogae praeſidebat; ejuſque dexteram laevamque tegebat certus Adſeſſorum numerus, quos Seniores appellabant. Alterum ab his locum occupabant Scribarum Diſcipuli, legis ſtudio vacantes. Populus in plano ſedebat, ut in noſtris Eccleſiis eo loci conſiſtit, quem Pronaum dicimus. Hos mores, ritus hoſce auctoritate ſua confirmavit, & conſecravit exemplo Unigenitus Dei Filius, cui omnia Pater dedit in manus. Ipſe etiam Senatores habuit ſuos, & alios quidem primi Ordinis, Apoſtolos videlicet, alios ſecundi, nimirum Diſcipulos duo, & ſeptuaginta, normam exhibens, ad quam Eccleſiae regimen foret inſtituendum. Ab hac porro regula ne hilum quidem aberrarunt Apoſtoli. In Caelos quippe abeunte Domino, Evangelicam doctrinam ubique terrarum propagantes, ſingulis fundatis Eccleſiis unum ſuprema poteſtate praefecerunt, non ſolitarium tamen, ſed Seniorum nonnullorum conſilio, & auctoritati obnoxium, quibuſcum ſubjectos populos communi moderamine regeret. Atque hoc illud eſt celeberrimum Eccleſiae Presbyterium, in ſingulis pene veterum monumentorum paginis memoratum, quod vere Ordinarium Eccleſiae Tribunal dixeris, ubi cauſſae omnes Ecclesiaſticae diſcuſſae ſunt, ac definitae, ut non ſolum nihil gravioris momenti umquam geſtum fuerit praeter ejus auctoritatem; verum etiam, ſi quid eo inconſulto fuiſſet attentatum, irritum prorſus haberetur. Nimirum, ut id nunc ſemel dicam, Eccleſiae regimen inſtitutione ſua non pure Monarchicum eſt, ſed ex Ariſtocratia quadam temperatum, ut ſaniores Theologi non diffitentur, ſive univerſam ſpectemus Ec-

Ecclesiam, sive peculiares Ecclesias inspiciamus; ut quemadmodum sub uno SS. Pontifice plures per Orbem diffusi Episcopi universam Ecclesiam administrant, sic sub Episcopo uno plures Presbyteri regant peculiares; ac proinde non in unius Episcopi potestate, ac imperio gregis cura sita sit, sed potestas ea Presbyterorum suorum consilio, & auctoritatis communione definiatur. Id nunc luculentissimis, & invictissimis tum SS. Scripturarum tum Patrum, & Conciliorum, idest totius Traditionis, testimoniis confirmandum est, & veluti sub omnium oculis collocandum. Et quoniam regimen universum, sive Politia his rebus concluditur, nimirum controversiarum definitione, legum promulgatione, praemiorum distributione, & irrogatione poenarum, de singulis fuse disputandum. Ordiamur vero, uti par est, a Sanctarum Litterarum oraculis.

Sub ipsa praedicati Evangelii initia excitatam Antiochiae Corinthiorum molitionibus seditionem, & sane omnium gravissimam nemo unus ignorat. Agebatur vero, num cogendi essent Gentiles conversi ad Circumcisionem, & cetera Mosaicae legis onera simul cum Evangelio subeunda. Quid porro hac controversia momentosius, quid delicatius, quid periculosius? Hinc Judaei, hinc Gentiles adversis frontibus pugnabant: res erat vel pro libertate, vel pro servitute omnium Ecclesiarum. Cum frustra diu Paullus, & Barnabas pro veritate asserenda fortiter dimicassent, placuit Ecclesiae Antiochenae, ut primitivae Ecclesiae decreto lis componeretur, indeque exposcenda sententia, cui omnes acquiescerent. Jussi sunt itaque Paullus, & Barnabas Hierosolymam proficisci ad Apostolos, & Seniores, eos hac de re sciscitaturi. Qui tum Hierosolymis Apostoli consisterent, etsi dubitatum video propter nonnullos Patres omnes ibi Apostolos adfuisse putantes; certo tamen mihi affirmare posse videor, non alios praeter Petrum,

trum,

trum, Jacobum, ac Johannem praesentia sua urbem sanctam condecoraste teste Paullo ipso *ad Galat. 2. cap. 9.* Porro poterat Petrus ipse solus, quippe cui Spiritus Sancti afflatus minime deerat, cuique universus Christi grex pascendus traditus fuerat; poterant ceteri laudati Apostoli eodem spiritu ubertim ditati controversiam solitarie definire. Quis vero eorum judicio, cui error omnino subesse non poterat, obloqui ausus esset? Non ita tamen se se gesserunt; quia non ita a Magistro edocti; ab eo quippe acceperant in plurimorum consensione fidei firmitatem positum iri: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*. Formam igitur futuris sequentium Seculorum Conciliis statuentes, Presbyterium, immo totam Ecclesiam collegerunt, factaque diligentissima conquisitione, auditis Petro in primis totius Ecclesiae capite, deinde Jacobo peculiari illius Ecclesiae Episcopo, & Jacobo egregie de quaestione disserente, saluberrimum illud sanctissimumque decretum consentientibus omnium sententiis cusum est, non inquietandas Gentes ad Christum conversas, nihil illis esse cum Lege Moysis, satis fore ad salutem Evangelicae Legis observationem. Vides hic luculentissime judicium hoc definitivum non a solis Apostolis, sed ab Episcopis, & Presbyteris uno ore profectum. Neque te moveat quod *Act. XV.* 22. legitur: *placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia*, perinde ac si Laici homines etiam suffragio suo quaestionem diremissent; *soli enim* (verba sunt Calmeti in hunc locum) *Apostoli, & Presbyteri, qui praesentes aderant, Concilii sententiam assensu suo composuerunt, quam populus & Ecclesia universa probavit, & admisit*. Utque id certissimum habeas, ecce tibi Synodicae Epistolae inscriptio: *Apostoli, & Seniores Fratres his, qui sunt Antiochiae, & Syriae & Ciliciae fratribus ex Gentibus salutem*: nulla hic men-

mentio Ecclesiae, ſed Presbyterii ſolius. Ejuſdem itidem Presbyterii nomine ad enunciatas Ecclesias legati Judas cognomine Barſabas, et Silas una cum Paullo allegantur ſynodicam conſtitutionem perlaturi. Cave porro, credas, ſeniores, sive Presbyteros huic Synodo teſtium loco sine ſuffragio, et quidem decisivo interfuiſſe. Id ne reputes, obſtant primo verba illa communi nomine prolata: *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; ſicut et illa: *perambulabat Syriam* (Paullus) *confirmans Eccleſias cuſtodire praecepta Apoſtolorum, ac Seniorum*. Act. XVI. Itemque: *Dogmata, quae erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Hieroſolymis*. *loc. cit.*. Qui ritus vero hoc in primo Ecclesiae concilio, Spiritu Sancto ſuggerente uſurpatus eſt, idem omnino in ceteris deinceps conſtantiſſime invaluit; ut paſſim inferne patebit.

Ad alterum propositae divisionis caput animum convertamus. Duodenario numero Apoſtolos ſuos Dominus concluſerat. Praevaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. Sufficiendus ergo fuit alter in ejus locum, ne quid definito, myſticoque numero decederet. Rem tantam non ſuo arbitrio permiſit Petrus, ſed paucis ab Domini Aſcensione diebus infantem, ut ita dicam, coëgit Eccleſiam, quae centum fere viginti capita numerabat, inter quos Apoſtoli undecim, et Diſcipuli duo et ſeptuaginta, propoſitaque omnibus alterius in locum praevaricatoris eligendi neceſſitate, ut quem digniorem prae cunctis noſcerent, in medium proferrent, hortatus eſt. Hi vero ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur Juſtus, et Matthiam. Reſiſtamus hic paulliſper. Agebatur ſane, ut aliquis ſummo loco in Eccleſia collocaretur, quod ſupremi honoris, atque ampliſſimi praemii genus eſt. Hic aliquis ex Diſcipulorum numero erat arceſſendus. Non ſolus Petrus hic deliberat, non ſoli Apoſtoli; ſe omnes ſimul Apoſtoli, et

et Discipuli consuluntur, requiruntur, rogantur; omnes simul statuerunt Josephum, et Matthiam prae ceteris digniores. Quid quaeso istud est, nisi quia ab exordio Ecclesiae ex Christi Domini instituto unanimi consensu res erat peragenda, nisi quia Episcopus cum Presbyterio, Apostoli cum Discipulis, qui Presbyteris respondent, rem tantam gesturi erant? Quid si non Apostoli tantum, sed etiam Discipuli (aliis verbis Episcopus cum Presbyterio) suffragio suo ad munus Apostolicum deligunt? Id me porro confecturum spero. Et quidem summa contentione inter eruditos disputatum est, qua via, qua ratione electio isthaec fuerit instituta? Paucis, concisisque verbis sacer Historicus rem concludit: *Et dederunt*, inquit, *sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & adnumeratus est cum undecim*. In eam sententiam descenderunt quam plurimi, electionem istiusmodi sortito factam, idest usu illarum sortium, qui frequentissime apud Hebraeos obtinebat, de quibus *Prov.* XVI. 33. *sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Verum sententia isthaec aliis sanioris consilii Interpretibus minime probatur. Neque enim vere asseritur, ne a mandato legis discreparent, ut ait *Ambr. in Lucam* 1. *cap.* 3., Apostolos in electione Matthiae sortes adhibuisse. Sacerdotium quippe Aaronicum non sorte, sed expressa Dei voluntate Aaroni delatum est, atque in ejus familia perpetua successione continuatum. Nonnulla tantum Templi munera nec gravioris momenti sortito distribuebantur. Quod si Sacerdotium satis imperfectum sorti permissum non est, quanto magis a Sacerdotii perfectissimi apice Apostolatu sortes exulare oportebat? Quis vero facile assentietur Bedae Venerabili, qui ea ratione excusandos censet Apostolos sortibus utentes, quod ante Pentecostes diem Electio illa contigerit, cum super eos nondum Spiritus descendisset? quasi vero hac in re viri illi sancti-

ctis-

ctissimi humani quidpiam passi fuerint, nec divinitus in tanto negotio afflati. Huc accedit et illa ratio potissima, quod sortium usus vix ab illo piaculo purgari queat, quae Dei tentatio audit, viamque ad superstitiones innumeras latissimam sternit. Apposite Tullius *de Divin. cap.* 41. *lib.* 2. *Quid sors est? idem prope quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. Quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem*. Quo factum est, ut Ecclesia Apostolico edocta spiritu in suorum Antistitum electionibus sortes acerrime proscripserit. Videsis *Hon. III. Decretalem Cap. Ecclesia de Sortilegiis*. His adde, quod Apostoli ipsi in septem Diaconorum delectu non sortibus, sed ratione plane diversa rem confecerunt. Cur, amabo, in sola electione Matthiae sortibus utendum fuit? Cur hoc exemplum saltem numquam Ecclesia sibi imitandum credidit, si ab Apostolis illud usurpatum arbitraretur? His sane rationibus, non levibus illis quidem, futilibusque, permoti emunctioris naris eruditi, inter quos eminet Gagnaeus, qui doctissimos in Acta Apostolica commentarios scripsit, non sorte Matthiae electionem, sed suffragiis contigisse opinati sunt. Favet praeter dicta ipsa locutio, *dederunt sortes eis*, sive, ut Graecus habet, *eorum*; quod minus proprie de veris sortibus diceretur, cum potius, *miserunt sortes in eos*, efferendum esset, ut alio loco: *in vestem meam miserunt sortem*; aptissime de suffragiis, seu calculis suffragiorum accipitur, quos dari, seu distribui nemo est, qui ignoret. Illud facessit negotium, quod calculos seu suffragia sortes, Graece Κλήρους appellari insolens sit, atque inusitatum. Verum a Graeci sermonis proprietate eam significationem non abhorrere supra laudatis auctoribus productis classicorum scriptorum testimoniis satis superque probatum est. Certe inter

ter

ter alias sortis acceptiones et illa numeratur, ut pro syngraphis oraculi responsa continentibus usurpetur. Vadem do Val. Max. *lib. cap. 6. retulerunt praecipi sortibus, ut aquam ejus lacus emissam per agros diffunderent.* Nec immerito suffragia sortis nomine donaveris, quod nimirum de sorte eligendi peremtorie decernant. Sed quid opus est exoticis testimoniis, cum ipsa Sacri Textus Graeca verba litem dirimant omnino, aperteque rationem indicent, qua hujusmodi electio expedita est. Sic enim Graecus habet: *και συγκατεψηφισθη μετα των ενδεκα Αποστολων*· quae sic ad verbum reddes: *& suffragiis cum undecim Apostolis connumeratus est*. De Juda vero, qui non sorte, sed voce electus est, Graecus habet: *Κατηριθμημενος*, licet eodem verbo *connumeratus* latine efferatur. Quae hactenus fusius deducta sunt, id luculentissime ostendunt Apostolos una cum Presbyterio nascentis Ecclesiae non modo potiores e Collegio duos ad Apostolatum exhibuisse, sed & suffragiis suis ex duobus unum Matthiam ad tanti gradus fastigium evexisse.

Altera se se dedit occasio eamdem auctoritatem explicandi, in septem scilicet Diaconorum optione. Satis compertum est, Fidelium crescente multitudine Graecos, idest Gentiles ad Fidem conversos adversus Hebraeos, idest ex Hebraeis credentes obmurmurasse, eo quod despicerentur viduae eorum in ministerio quotidiano, nimirum, quod illorum viduae in quotidiana ciborum distributione, quae tum in illa bonorum omnium communione obtinebat, minus curarentur. Tum vero Apostoli opportunitatem nacti tertium ministrorum ordinem, ut in mandatis a Domino acceperunt, in Ecclesiam invexere, quorum sacra potestas tota in ministerio posita est, praecipuae quidem Eucharisticae mensae, deinde etiam profanae. Et per se quidem Apostoli praefectos hosce eligere potuissent, sed totius Concilii delectui

rem

rem totam committendam arbitrati sunt. Calmet in hunc locum: *Magna vis est in hujusmodi Apostolicis exemplis, quam semper agnovit deinceps Ecclesia*.

Tertium modo superest ex Scripturis, poenas quod attinet, sine Presbyterii totius Concilio non inflictas. Et sane Corinthiacam Ecclesiam magnis licet virtutibus florentem magno flagitio incestaverat vir quidam nobilis, praepotens, factiosus, ea eloquentiae vi, ut Corinthiorum admirationem commorit, eorumque multos sensim in suas partes pellexerit. Is quippe tali se se scelere polluerat, quale nec inter Gentes audiebatur, ut uxorem patris sui adhuc in vivis agentis haberet. Cum porro in hac tam nefaria conjunctione incestum adulterio committeret, gravissime Fidelium animos offenderat. Paullus interea his acceptis pro suo erga Ecclesiam studio acerrime in ejusmodi scelus invehitur; vehementius autem in Ecclesiastici ordinis viros, qui contentionibus inutilibus, quae in foedum schisma proruperant, implicati, tam grande scelus impune grassari patiebantur. *Et vos*, inquit, *inflati estis*, nimirum turpitudinis apud vos admissae conscii, cujus fama longe, lateque pervagatur, ambitione tumentes, contenditis, ac disceptatis: immo, quod horribilius est, infamem hujusmodi hominem sapientiae nomine suspicitis, admiramini? Et non magis luctum habuistis? Cum luctum magis suscipere debuissetis de publico dedecore, quod in vos quodammodo redundat. Haec justissima objurgatio, uti recte monet Estius, non omnes Corinthi fideles, sed solos spectat Magistros, quos pro auctoritate sibi a Christo credita tantam impudentiam compescere oportebat. Hinc interim ad rem nostram colligamus, Apostoli increpationem non solum Episcopum tangere, sed totum Presbyterium, quippe quod simul cum Episcopo tanto malo occurrere opus erat, ac pro facta sibi potestate Canonicis poenis in incestum hominem animadvertere. Cum ergo ipsi

(Prae-

(Praepositi scilicet) suo defuissent officio, Paullus omnium Ecclesiarum sollicitudine oneratus, remedium nunc praescribendum censuit pessime adhuc ab illis dilatum, remedium, inquam, utrique profuturum, Ecclesiae, ne corrumperetur, ei, qui peccaverat, ut ad sanam mentem rediret.

Ego, subjicit, *absens corpore*, *praesens autem spiritu*, hoc est animo, studio, sollicitudine, *judicavi*, *ut praesens*, perinde scilicet, ac si adessem; jam judicavi. Ne vero reputes hisce verbis ab Apostolo in reum sententiam pronunciatam. Poterat sane solus ipse per se id praestare. Non deerat potestas, suppetebat auctoritas, jurisdictione praeditus erat amplissima. Nam praeterquamquod Apostolica pollebat dignitate, ipse Corinthiacam fundarat Ecclesiam, ejus parens fuerat, primus Magister, Doctor. Noluit tamen pristinum morem intervertere, omnium consensu, Praepositorum rem expediendam esse pro Ecclesiasticae disciplinae forma sciebat. *Jam judicavi*, inquit, *idest decrevi*, *apud me statui*, verba sunt doctissimi Estii; *neque enim Apostolus sententiam excommunicationis tulerat; sed auctoritate jurisdictionis sententiam ferendam decreverat: adhuc enim Corinthios Praepositos hortatur: auferte malum ex vobis ipsis*. Volebat ergo omnium consortio, consentientibus animis rem confici.

Decrevi ergo *in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis*, *&* *meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis*, *ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Quam praeclarè, quam nitide, quam luculenter Ecclesiastici judicii formam prodit Apostolus! Ipse nimirum Apostolus praesidis loco absens corpore, praesens spiritu pro tribunali sedet, sedent Presbyteri veluti *συγκριται* conjudices: *congregatis vobis*: *in nomine Domini Nostri Jesu Christi*: à Christo judicandi potestate praediti: *cum vir-*

virtute Domini nostri Jesu Christi : Christo ipso assistente cum virtute sua, ne futilis ac cassa sententia pronuntietur *: tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis*. En poena infligenda, excommunicatio videlicet, quam Majorem appellant, ut probatissima omnium Latinorum fert sententia; nimirum recte Excommunicatus Satanae traditus censetur, quod extra Ecclesiam pro merito suo projectus infernorum spirituum incursibus pateat. *Ejiciebatur*, inquit Chrysostomus, *a communi Fidelium coetu, abscindebatur a grege, fiebat nudus, atque ita destitutus lupis patebat, & prodebatur incursibus*. Non dissimilem se gessit Paullus in rei absolutione; nec eam sine Presbyterii consensu pronuntiavit. Videsis II. ad Corinth. Ex hactenus dictis nemo, puto, in dubium revocaverit, quin moris fuisse Scriptura doceat, ut & Canonicae poenae a toto simul Presbyterio infligerentur in criminum capitalium reos. Atque haec quidem gravioris momenti, ut mirum non sit communi omnium consilio gesta esse. Illud numquam satis mirabere, ipsos eleemosynarum Collectores, ac Distributores non sine communibus suffragiis Apostolico aevo delectos. Disce id ex eodem Apostolo, qui sive de Luca, sive de Sila, sive de quopiam alio discipulo loquens II. ad Corinth. VIII. *qui ordinatus est*, inquit, *comes peregrinationis nostrae ab Ecclesiis:* Graece vero χειροτονηθεὶς, idest suffragiis designatus.

Priusquam vero a sacris Litteris abeamus, operae pretium fortasse fuerit in hujus amplissimae Presbyteralis potestatis originem ipsa Scriptura duce paullo diligentius inquirere. Ego vero sic reputo potestatem ejusmodi, non consuetudine, non humano instituto, non Episcoporum concessione, sed divino jure in Presbyteros descendisse, quippe quibus a Christo ipso in Fideles suos jurisdictio, Episcopali tamen auctoritati obnoxia, ἀμέσως tributa fuerit. Gallorum Theologorum lumina a me stare norunt eruditi, qui in

 illo

Illo Lucae X. 1. & 3. *Post haec autem designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam . . . ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, secundi ordinis Sacerdotes aperte vident, divina missione donatos, omnique illa potestate instructos, quae ex missione consequitur. Nec immerito, primo quia similibus plane verbis Matth. X. Apostolis missionem, & jurisdictionem Apostolico muneri respondentem contulit; tum quia praeesse veluti proprium Presbyterorum characterem designat Apostolus I. ad Timoth. V. *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur;* tum denique quia Discipulis hisce Presbyteros successisse tota clamat antiquitas; cujus testimonia loco opportuniore proferemus. Sed maxime urget Tridentini auctoritas Sess. 23. can. 6. definientis in Ecclesia Catholica agnoscendam omnino Hierarchiam divina ordinatione institutam, eamque constantem Episcopis, Presbyteris, ac Ministris. Quid porro Hierarchia sonat, nisi Sacrum Principatum? Sunt ergo a Christo Presbyteri instituti ad principandum, quemadmodum & Episcopi, id quod fieri omnino non potest sine praecipiendi potestate, ac in subditos jurisdictione. Proposita ergo huc redit argumentatio: Qui Ministris a Christo institutis, & missione, & jurisdictione donatis succedunt; ii sunt divinae institutionis, & a Christo jurisdictionem accipiunt. Hujusmodi sunt Presbyteri, ut Scriptura, ac Traditio non obscure significat. Sunt ergo & ipsi, & eorum jurisdictio divino jure instituta. Neque enim ob aliam caussam divino jure Rom. Pontifex Caput Ecclesiae creditur, nisi quia Petro succedit Apostolorum Principi, nec Episcopi eodem divino jure instituti reputantur, nisi quia Apostolorum successores Ecclesia tradente dignoscuntur.

Argumentationis vim sensere quicumque Bellarmino duce lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 25. in alia

omnia

omnia abierunt; quam ut, quo possent modo, declinarent, minus proprie septuaginta duobus Discipulis successisse Presbyteros dici posse contendunt. Primo quia nullo Presbyteratus Ordine hi septuaginta Discipuli fuerunt a Christo Domino initiati, ut proinde nulla eis collata jurisdictio fuerit; revera enim Stephanus, ac Philippus, qui in septuaginta duorum numero ab Epiph. haeres. 20. censentur, ab Apostolis demum Diaconi sunt inaugurati Act. VI. Secundo quod nullam a Christo missionem acceperint: solos enim Apostolos alloquebatur Dominus, cum ad eos verba convertens: *sicut me*, inquit, *misit Pater, & ego mitto vos*. Tertio denique, quod non adfuerint Discipuli supremae illi Coenae, ubi Apostoli Sacerdotio a Christo aucti fuerunt.

Verum isthaec tanti non sunt, ut nobis negotium facessant. Nam etsi libenter damus Septuaginta duos a Christo non fuisse Sacerdotes consecratos; inde colligere fas non est, eos nulla fuisse jurisdictione instructos. Satis nempe vel juris tyronibus compertum est, jurisdictionis potestatem ab Ordinis charactere minime pendere, uti constat in Parocho nondum vel Presbytero, vel Diacono, adhuc tamen valide jurisdictionis actus exercente. Et certe Apostolus Paullus amplissimo Apostolatus munere perfunctus erat, cum nondum consecrationem accepisset Antiochiae Act. XIII. 3. Quam multa eo satis longo intervallo, quae necessario a jurisdictione pendebant, expedierat!

Illud vero, quod ex Epiphanio opponitur, futile est, ac levidense; nam licet ei assentiamur rem post tercentos demum annos narranti, septem nimirum Diaconos e septuaginta Discipulorum censu fuisse delectos, cum ipsi nullo nec Presbyteratus, nec Diaconatus Ordine a Christo fuerint insigniti, nonne necesse fuit eis denique illos Ordines ab Apostolis conferri, ut jurisdictionis potestati Ordinis character ac-

 cede-

cederet, ficuti & Paullo contigit, qui Apoftolatus jurisdictione a Chrifto condecoratus, eaque ad plufculos annos ufus, tum demum per manus Apoftolorum confecratus eft?

Nec gravioris momenti tertium illud, quod in objectione erat, reputandum eft. Jam enim conceffimus feptuaginta duos a Chrifto non fuiffe ad Sacerdotium evectos, ut propterea nobis minime officiat, quod ab ultima Coena, quando Sacerdotium Apoftolis collatum eft, abfuerint. Nimirum, cum a Chrifto & defignati, & inftituti fuerint, ut fub Apoftolis Ecclefiam regerent, par erat, ut ad fubjectionem infinuandam ab Apoftolis etiam primo confecrarentur; femper enim ab Apoftolicis temporibus obtinuit, ut confecratus parentis loco confecratorem fuum & veneraretur, & coleret. Denique abfuerint fane Difcipuli, cum Chriftus miffionem Apoftolis impertitus eft Joh. XX. At aberant etiam & Thomas, & Matthias. Quid inde? a miffione excludentur? An non verborum vis & efficacia ad eos etiam fefe extendit? An non eos omnes complectitur, quos Chriftus ad Ecclefiae minifterium elegerat? Quid quod Difcipulis feptuaginta difertiffimis verbis Chriftus Dominus miffionem afferat Luc. X. verbis fupra relatis: *Ecce ego mitto vos, ficut agnos inter lupos*. Sed de hoc argumento fatis fortaffe multa.

Convertamus nunc animum ad validiffimum alterum argumentum, Traditionem fcilicet, cui jus eft, Scripturas ipfas, fi forte illae obfcuriores effent, interpretandi. Porro is ordo in fufcepta ejufmodi difputatione nobis propofitus erit, ut primo eas fententias Patrum proferamus, quibus una cum Epifcopo Presbyteris regendae Ecclefiae generatim poteftas afferitur, deinde ad illa teftimonia gradum faciamus, quibus poteftas explicatur in fingula illa regiminis capita, de quibus fupra meminimus, cum facrarum Litterarum auctoritates protulimus; idque fingula Ec-

clesiae

clesiae secula percurrentes. Prodeat ergo nunc primus antiquissimus ille juxta ac sanctissimus Antiochenae Ecclesiae Praesul Ignatius, cujus sententias ex epistolis illis mutuabimur, quae apud sanioris ingenii Criticos inconcussae genuinitatis habentur. Sane is non potuit gravioribus, ac disertioribus verbis Presbyterii dignitatem, munia, honorem, debitamque illi reverentiam extollere. Audiatur quaeso Apostolicus hic locupletissimus testis. *Etenim Jesus Christus*, inquit epist. ad Ephesios, *inseparabilis nostra vita, Patris est sententia, ut & Episcopi per terrae terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile vestrum Presbyterium dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chordae citharae.* Satis mihi placeo in hac pulcherrima sanctissimi Martyris comparatione. Nam quemadmodum nulli usui demum futura erit cithara, nisi chordis fuerit instructa; ita Episcopale ministerium plane jacebit, ubi Presbyterorum adjumento careat: quae duo tum denique maximopere profutura sunt, ubi in eumdem Pastoralis muneris scopum summa concordia conspiraverint. Pergit porro ibidem. *Siquidem singuli communiter omnes nominatim convenitis in una Fide, & in uno Jesu Christo . . . . ut obediatis Episcopo, & Presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur.* Debent ergo Fideles & Episcopo, & Presbyterio obedientiam mente indivulsa. Cur quaeso Episcopo, nisi quia jus habet pascendi? Igitur eodem ex capite & Presbyterio, & quidem mente indivulsa, quippe qui unum corpus constituant, unumque pari potestate frangant panem, pharmacum immortalitatis. Adhuc vero luculentius, quid de toto Presbyterio sentiat, explicat epist. ad Magnesianos: *Hortor, ut hoc vestrum sit studium, in Dei concordia omnia agere,*

Episcopo praesidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus creditum est ministerium Jesu Christi (puto SS. Eucharistiae dispensatio). Non hic illud nimis urgeo, nempe Ignatium Presbyteros Apostolis committere; constat quippe Episcopos Apostolorum successores a tota antiquitate agnitos esse. Verum quoniam Ignatius Episcopos Jesu Christi loco praesidere asseruit; omnino necesse fuit, ut Presbyteros Apostolorum loco considere doceret. Apostolis porro regendi jus nemo sanae mentis abjudicaverit. Igitur neque Presbyteris ex Ignatio denegandum est. *Quemadmodum igitur* (quam praeclara complexio!) *Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus neque per seipsum, neque per Apostolos: ita neque & vos sine Episcopo, & Presbyteris quidquam agite*. Concludit demum: *Studete igitur, ut confirmemini in Dogmatibus Domini, & Apostolorum . . . Cum dignissimo Episcopo vestro, & digne contexta spirituali corona Presbyterii vestri, & secundum Deum agentibus Diaconis*. En utique Episcopus, & Presbyteri, ille ut caput, isti ut corona affabre contexta; sine hisce singulis conspirantibus amice nihil moliendum, nihil agendum ex Ignatii sententia. Elegantissime Ecclesiam definit Epist. ad Trallianos: *Cuncti revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi, & Episcopum, ut eum, qui est figura Patris, Presbyteros vero, ut consessum Dei, & ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur*. Quid, amabo, disertius affirmari poterit? Si Ecclesia a Christo pascendi auctoritatem accepit. Ergo hi omnes simul conjuncti, sine quibus, teste Ignatio, non vocatur Ecclesia. Similia prorsus habet Epist. ad Smyrnaeos: *Episcopum sequimini, ut Jesus-Christus Patrem, & Presbyterium, ut Apostolos, Diaconos revereamini, ut mandatum Dei*. Id se voce magna praedicare, id clamare voce Dei se se testatur, Epist.

ad

ad Philadelphios : *Clamavi, cum interessem, locutus sum voce magna, voce Dei: Episcopo attendite, & Presbyterio, & Diaconis*. Igitur a Spiritu Sancto proficiscitur ista vox, qua hisce Praepositis obediendum praecipitur, ut disertius S. Martyr prosequitur. Praeclaram vero hujus concordissimae obedientiae rationem profert eadem Epist. *Una enim*, inquit, *est caro Domini Nostri Jesu-Christi, unus calix in unitatem Sanguinis ipsius, sicut unus Episcopus cum Presbyterio, & Diaconis conservis meis, ut quod facitis, secundum Deum faciatis*. Perinde ac si diceret, quemadmodum Carni, ac Sanguini Domini unam adorationem impenditis, quod nimirum unum sint Domini Corpus; ita unam obedientiam toti Presbyterio debetis, quod in unum corpus ex Episcopo, Presbyteris, ac Diaconis coalescit. Denique, ne longum faciam, aliquid Ignatii adscribam ex epist. ad Polycarpum, ubi sic eum alloquitur: *Si quis se plus Episcopo scire putet, corruptus est . . . post Dominum tu viduarum curator esto; nihil sine tua sententia fiat: Episcopo attendite, ut & vobis Deus attendat*. Haec ad Episcopos, & quidem rectissime; sed cum soli non sint in pastorali sollicitudine, descendit ad Presbyteros, ac Diaconos: *Collaborate*, inquit, *ut Dei Oeconomi, aut Dispensatores* (sic Episcopos appellat) *ut Adsessores* (sic Presbyteros) *ut Ministri* (sic Diaconos nuncupat). Omnes ergo indivulso studio, ac sancta societate collaborant. Postremo divina quadam invidentia *ego*, subdit, *animam meam libenter eorum loco substitui cuperem, qui Episcopo, Presbyteris, ac Diaconis obsequuntur*.

Commodum Polycarpi mentionem in laudata Ignatii Epistola habemus. Ipse siquidem Apostolicus, & Propheticus Doctor appellatus ab Eusebio Lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 13. quippe qui, ex Irenaeo, ab Apostolis eruditus fuerat, & cum multis, qui

 Do-

Dominum viderunt, familiariter conversatus, Ignatianae doctrinae mirifice consonat Epist. ad Philipp. apud eumdem Euseb. cit. loco. *Subjecti*, inquit, *estote Presbyteris, & Diaconis, sicut Deo & Christo, seu Virgines inculpata, & casta conscientia gradientes: Presbyteri autem sint facili ad compatiendum affectu praediti*. Ne quis vero mutilum hic miretur Presbyterium truncato capite Episcopo, meminerit primis illis Ecclesiae seculis, uti superius docuimus, Presbyteri nomen utriusque Ordinis Antistiti communiter tributum.

Neque aliorsum accipiendum puto Irenaeum, qui Traditionum Apostolicarum Presbyteros custodes honorificentissime appellat Lib. 3. adversus haereses cap. 2. *Cum*, inquit, *ad eam iterum Traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem*. Et lib. 4. cap. 43. *Eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt*. Nemo, puto, inficias iverit, hanc praeclarissimam praerogativam ad utriusque gradus Sacerdotes pertinere; tum quod utique sub Presbyterorum nomine apud veteres veniant, tum quod secundi gradus Sacerdotes acerrimi non semel Apostolicarum Traditionum assertores exstiterint adversus etiam Episcopos proprie dictos, quemadmodum in caussa Paulli Episcopi Samosateni, & Nestorii Patriarchae Constantinopolitani contigisse opportuniore loco docebimus. Quod vero hujusmodi Presbyteros successionem ab Apostolis accepisse dicat Irenaeus (qua nota veros Episcopos designare videri fortasse poterit,) id porro nihil nos debet commovere,

vere,

vere, quando & ab Ignatio superius audivimus veros Presbyteros Apostolico consessui aequiparari.

Non patiar hic aliud mihi argumentum e manibus elabi, quod mutuari libitum est ex Epistola Viennensis, ac Lugdunensis Ecclesiarum ad Eleutherium Rom. Pontificem, quandoquidem harum litterarum Irenaeus ipse perlator fuit; sique apud Pontificem magnifice commendatus. *Litteras ut ad te perferret, Fratrem, & Collegam nostrum Irenaeum hortati sumus. Quem quidem, ut commendatum habeas, rogamus, utpote aemulatorem Testamenti Christi. Quod, si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum tamquam Presbyterum Ecclesiae (hunc enim gradum obtinet) tibi inprimis commendassemus.* Quid vero inde ad rem nostram? Non parum quidem. Et sane animadvertendum est primo hic Presbyteros sive solitarios, sive cum Episcopo B. Photino ad Eleutherium has litteras dedisse. Id quippe satis aperte constare ajo ex eo, quod hi Presbyterum Irenaeum non solum Fratrem, sed & Collegam vocent. Secundo moris fuisse ea tempestate, ut alicujus Ecclesiae nomine ingravescente persecutionis turbine epistolae darentur ad alias Catholici nominis Ecclesias ac praecipue Romanam omnium aliarum Matrem, ac Magistram, quibus certiores fierent, quot fidei studio Fideles legitimum certamen certarent adversus irruentes Satanae Ministros, sive qui contra tormentorum vim reformidantes a sancta professione deficerent; tum praesertim, qua sollertia, quave sollicitudine Sacerdotalis Ordinis viri animos infirmis adderent, labantes confirmarent, lapsos erigerent, Confessoribus in vincula conjectis, ne quid eis sive ad animum, sive ad corpus spectans solatii deesset, indefessi consulerent. Hujusce consuetudinis tum in actis Martyrum, tum in epistolis Cyprianicis monumenta passim apparent. Id porro quid aliud quaeso est, nisi

Do-

Dominicum Gregem pascere, tutari, sive, ut Christus praecepit, pro ovibus animas ponere? quod cum Episcopo praeeunte Presbyteri quoque praestarent, nonne consequitur eosdem communi consilio & opera Ecclesiam administrasse? Nonne hujusmodi litterae a Viennensi ac Lugdunensi Presbyteriis scriptae, & eorum nomine missae, argumento sunt evidentissimo apud illos Ordines rerum summam in illis Ecclesiis fuisse?

Puderet me hic nefarii hominis, & haeretici impudentissimi Marcionis mentione sanctissimorum Patrum seriem interturbare; nisi ejus veteratoris occasione recitandum esset praeclarissimum Epiphanii testimonium. Ille ergo a Patre suo Episcopo integerrimo communione mulctatus Romanum adiit Clerum, confisus fore, ut venerando illi Senatui obreperet, ab eoque restitutionem impetraret. Rem gestam paucis Epiphanius complectitur haeresi 42. *Eo statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum Discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, frustra petiit. Quamobrem exstimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiae quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis haeresim confugere in animum induxit*. Et infra: *Palam eos alloquens. Cur me, inquit, recipere noluistis? Responderunt illi: nobis injussu venerandi Patris tui istud facere non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum collegam Patrem tuum moliri quidquam possumus*. Duo hic nobis suppeditat Textus; primum Marcioni persuasum fuisse eo jure Presbyterium Rom. Cleri pollere, ut eum Sede vacante communioni restituerent; alterum hujusmodi Cleri Presbyteros Episcopum Marcionis Patrem collegam suum appellare, non alia certe de caussa, quam quod administrandae Ecclesiae sanctissima societate copularentur. Re-

Repetamus modo abruptum tantisper ordinem. Succedant ergo Justinus Martyr, ac Tertullianus, non temporum, sed sententiarum paritate conjuncti. Uterque vero sacrae Synaxeos ritus exponens, illius Praefecturam Presbyteris tribuit, quos Praesidentium nomine condecorat. Justinus quidem Apologia Impp. oblata sic se habet: *Postea Fratrum Praeposito panis, ac poculum offertur . . . . . Postquam Praepositus gratias egit, totusque Populus fausta acclamarit; qui inter nos Diaconi vocantur, dant unicuique . . . Postquam cessavit, Praepositus sermonem monitorium habet: Praepositus preces, & eucharistias, quantum potest, sursum mittit, & Populus fauste acclamat, Amen dicens, & unicuique distributio, & participatio rerum Eucharisticarum fit: absentibus quoque per Diaconos mittitur*. Tertullianus vero Apologet. cap. 39. *Praesident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti*. Et lib. de Corona militis cap. 3. *Nec de aliorum manu, nisi Praesidentium Eucharistiam sumimus*. Et lib. de Jejuniis cap. 17. Psychicos vellicans: (nempe jam tum ad Montanistas defecerat) *Hoc nimirum*, inquit, *ad elogium gulae tuae pertinet, quod duplex apud te Praesidentibus honor binis partibus deputatur, cum Apostolus duplicem honorem dederit, ut Fratribus, & Praepositis*. Quoscumque demum Praepositorum, ac Praesidentium nomine velis indigitari, sive utriusque Ordinis, sive secundi tantum Sacerdotes, (quod postremum longe probabilius mihi videtur, nam Tertullianus textum Apostoli prae oculis habet: *qui bene praesunt Presbyteri duplici honore digni habeantur*), illud certe ratum erit ad utrumque Ordinem Praefecturam huiusmodi spectare. Neque vero minima administrationis Ecclesiasticae pars haec reputanda est; quandoquidem animarum Curatores hac potissimum nota ex Tridentino distinguuntur, quod divino mandato iis Gre-

gem,

gem, Verbi Dei praedicatione, ac Sacramentorum administratione, pascere praescriptum sit; quae duo in allatis testimoniis diserte Praepositis tribuuntur.

Superioribus porro par itidem nobile adtexam, Clementem Alexandrinum, & Origenem, Magistrum scilicet ac Discipulum, magni nominis in Ecclesia utrumque. Audiatur primo Magister qui lib. 6. Stromatum inquit: *Nam hic quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriae Angelicae, & illius oeconomiae, ac dispensationis, quam dicunt Scripturae illos expectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiae convenienter Evangelio*. Pulcherrima supra quam dici potest in hisce verbis elucet comparatio caelestem inter, ac terrenam Hierarchiam; cumque haec posterior superiorem imitetur, necesse omnino est, ut quemadmodum de caelesti scriptum est: *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi* creatis rebus administrandis; sic & terrena Hierarchia Episcopis, Presbyteris, ac Ministris constans tota simul Ecclesiae procurationi sit mancipata, Fideles nempe perficiendo, quod Episcopis convenit, illuminando, quod Presbyterorum proprium est, purgando, quod ad Diaconos pertinet. Similitudinem alteram mutuatur Clemens ex civili Politia, & ad Ecclesiam transfert his verbis lib. 7. pag. 504. *Cultus quidem, qui versatur circa res hominum, unus quidem est, qui reddit meliores: alius vero, qui in ministerio occupatus . . . ac parentibus quidem a filiis; magistratibus autem, ac Principibus ab iis, qui parent eorum ditioni, occupata in ministrando accedet utilitas: Similiter autem in Ecclesia, eam, quae facit meliores, imaginem servant Presbyteri, eam, quae servit, Diaconi*. Eo demum redire haec sententia videtur, ut sicuti in humana Rep. quidam imperant, serviunt quidam; sic in Ecclesia princi-

pentu

pentur Presbyteri; ministrent, ac serviant Diaconi. Principatus porro sine rerum administratione constare minime potest.

Ad Origenem nunc accedo. Hic homil. 7. in Hieremiam: *Nos*, inquit, *qui putamur aliquid esse, idest, qui in Clericatus vobis Ordine praesidemus*. Erat autem Presbyter: προεστῶτα igitur ex Origene Presbyteris convenit. Iterum Tract. 5. in Matth. *Christum*, ait, *caput Ecclesiae esse, non ego, sed Apostolus intellexit: Sacerdotes autem rationabiliter possunt dici Ecclesiae oculus, qui & speculatores habentur, (Diaconi autem, ceterique ministri minus,) quoniam per eos opera spiritualia universa geruntur*. Cur quaeso oculi allegoria ab Origene usurpata, cum de Sacerdotibus loquitur, nisi quia totum Ecclesiae corpus a Domino tuendum, conservandum, gubernandum suscepere; nisi quia per eos, uti sequitur, *opera spiritualia universa geruntur?* Denique Tract. 24. in Matth. *Proprie Episcopus Dominus Jesus est. Et Presbyteri Abraham, & Isaac, & Jacob, vel ceteri, qui hoc nomine digni habiti sunt, quales fuerunt Apostoli Christi: Diaconi vero septem Archangeli sunt Dei, ad quorum Mysteria septem Diaconi in Actibus sunt ordinati*. Allegoricus item hic locus est; luculenter tamen Presbyteros Apostolis miscet, ut Ecclesiae gubernationem utrisque, habita tamen gradus ratione, communem faciat.

Principem, novi, in hac testimoniorum prolatione locum Apostolici Canones obtinere debuissent, nisi mihi certo certius persuasum esset eruditorum hominum turbam secuto, falso se se Canones illos hoc tanto nomine gloriari. Verum quoniam & probatae antiquitatis habentur (cum disciplinam trium priorum Seculorum redoleant), & nonnulla in eos ex Apostolica doctrina derivasse constans est opinio; atque ad haec tempora, in quae disputando incidimus, reduci possunt: hic nonnulla ex eis decerpta

collo-

collocabimus. Et ecce tibi Canon 57. perſpicue docet Cleri curam, ac Chriſtiani Populi Epiſcopis aeque ac Presbyteris concreditam; quippe quibus aeque omni officii genere, ac functione interdicat, ubi impoſitam ſibi divinitus curam incurioſi neglexerint. *Epiſcopus*, inquit, *vel Presbyter, qui Cleri, vel Populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur, & ſi in ſocordia perſeveret, deponatur*. Sed omnium apertiſſimus can. 34. rem conficit, cum ipſum Epiſcopum ſedulo vetet quidquam adoriri praetermiſſa omnium ſententia. Recitandus eſt omnino primigenio idiomate: Αλλα μη δε εκεινος Επισκοπος ανευ των παντων γνωμης ποιειτω τι· ουτως γαρ ομονοια εϛαι, και δοξασθησεται ὁ Θεος δια Κυριου εν ἁγιῳ Πνευματι. Quae ſic ad verbum: *Sed nec Epiſcopus quidem ille praeter omnium ſententiam quidpiam agat: ſic enim concordia conſtabit, ac glorificabitur Deus per Dominum in Spiritu Sancto*. Vehementer vero me illa ratio oblectat, qua nihil ſine omnium ſententia, ideſt totius Presbyterii, gerendum cavetur, ut nimirum concordiae conſulatur, quae inter Rectores quanti ſit, nemo unus ignorat.

Pronum iterum fuiſſet & ex epiſtolis Clementis Romani, & ex libro Hermae, qui Paſtoris titulo inſignitur, (Juſſus eſt nimirum Paſtor libellos duos conſcribere, quorum alter Grapae Romanae fortaſſis Diaconiſſae traderetur, ac in coetu legeretur Presbyterorum, *qui Eccleſiam gubernant*), aliquid corradere ad commune Eccleſiae regimen Epiſcopos inter ac Presbyteros oſtendendum; ſed concitato gradu ad Magnum Cyprianum contendo, de quo illud vere affirmare mihi poſſe videor, neminem inter antiquos Apoſtolicae, de qua loquimur diſciplinae, ſervantiorem fuiſſe, eaſque illi opportune occaſiones oblatas, in quibus eadem diſciplina ſecundum omnia propoſita alibi capita ſe ſe exſeruerit. Hic ergo egregius plane vir, & multis nominibus de Eccleſia me-

meritissimus ut propositi sui, quo nihil se umquam acturum sine Presbyterorum suorum consortione decreverat, omnes testes haberet, palam edixit, *se ab initio Episcopatus sui statuisse, nihil sine consilio eorum, & sine plebis consensu sua privatim sententia gerere*. Epist. 5. Quid valuerit ille plebis consensus, infra videbimus: expendamus nunc, quanta fide promissis steterit sanctissimus Antistes. Et principio quidem cum immanis illa Decii persecutio deferbuisset, quoniam non pauci cruciatuum vi, vel metu adacti in idololatriam lapsi fuerant, agebatur, utrum resipiscentes reconciliandi forent, & quo poenitentiae spatio purgati hoc beneficio sublevandi. Porro haec duo gravissima rerum capita numquam ipse solus, sed totius Ecclesiastici senatus auctoritate censuit dijudicanda. Favorinus quippe Acolythus, atque Hypodiaconi duo Philumenus, ac Fortunatus ad Ecclesiam post lapsum reversi, veniam, ac reconciliationem enixis precibus implorabant, de his haec rescripsit Cyprianus epist. 38. *Desideratis quoque, ut de Philumeno, & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolytho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur, rescribam. Cui rei non potui me solum judicem dare, cum multi adhuc de Clero absentes sint, nec locum suum vel sero repetendum putaverunt; & haec singulorum tractanda sit, & limanda plenius ratio non tantum cum Collegis meis, sed & cum plebe ipsa universa*. Aureus certe locus, praeter quem nihil aliud ad rem conficiendam desiderari posse videtur. Quodque magis mirere, si quam sententiam solitarius ipse profert, *provisoriam*, uti loqui amant, non definitivam esse jubet. Eadem quippe epistola: *Interea*, inquit, *si quis immoderatus, & praeceps sive de nostris Presbyteris, vel Diaconibus, sive de Peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram* (idest totius Concilii; vix enim ea tempestate invaluerat,

ut

ut plurativo numero Episcopi loquerentur) *communicare cum lapsis, communione nostra arceatur, apud omnes nos caussam dicturus temeritatis suae, quando in unum, permittente Domino, convenerimus.* Atque in hoc instituto adeo sibi constitit Cyprianus, ut quemadmodum ipse nihil quidquam sine Presbyterio moliebatur; ita neminem Presbyterorum se, suisque Collegis inconsultis attentare pateretur. Quamobrem cum Presbyteri loci, gradusque sui immemores eo prosiliissent, ut lapsos quosdam persecutionis tempore propria auctoritate reconciliare ausi essent, eos acri objurgatione castigat, quod non sine gravi contumelia, ac contemtu omnium *totum sibi vindicarent*. Quid porro est illud, *omnia sibi vindicant*, nisi partes ceterorum, atque Antistitis in primis usurpare, atque ad se corripere, quod commune est? Nimirum id jus eo tempore vigebat, ut Communionis beneficium non acciperetur, nisi per manus impositionem Episcopi, ac Presbyteri. Hinc subjicit ead. epist. 9. *Et per manus impositionem Episcopi, & Clerici jus communicationis accipiant.... erunt enim rei, qui praesunt, & hoc fratribus non suggerunt, ut instructi a Praepositis faciant omnia cum Dei timore.* Emicat etiam hic loci Presbyterorum auctoritas, quos & praeesse, & Praepositos esse Cyprianus aperte testatur. Objurgationem demum comminatione, ut par erat, concludit S. Martyr. *Scientes, quoniam, si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre.* En aliam provisoriam, non definitivam sententiam; nam mox subjicit: *acturi* (hi scilicet, quibus *interim* Sacerdotio interdixerat) *apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam caussam suam, cum Domino permittente in sinum Matris Ecclesiae colligi coeperimus.* Totum hoc ergo reconciliationis negotium in totius Cleri Comitiis definiri, atque ab-

absolvi oportebat: *Cum persecutione finita convenire in unum cum Clero, & recolligi coeperimus;* neque enim fas erat lapsis communicare, ante manum ab Episcopo, & Clero impositam.

Mox ad Poenitentes conversus iis auctor est, ne praepropera festinatione impedirent potius, quam expedirent: *Audiant, quaeso, consilium nostrum, exspectent regressionem nostram, ut cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Episcopi plures secundum Domini disciplinam, & Confessorum praesentiam BB. Martyrum litteras, & desideria examinare possimus*. Ceterum neque hic Cleri sui obliviscitur: *De hoc ad Clerum, & ad Martyres, ac Confessores litteras feci, quas utrasque legi vobis mandavi*. Non alia sane de caussa, nisi quia & Clerum deliberationi interesse oportebat.

Mirifice autem concinit Cypriani doctrinae Rom. Cleri sententia. Consulti nimirum ab incomparabili Doctore Rom. Presbyteri ad hunc modum praefati Epist. 3. apud Cypr. *Incumbit nobis, qui videmur esse Praepositi, & vice Pastoris* (Fabiano nimirum per Martyrium coronato) *custodire gregem:* subdunt: *Placet collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus pariter, ac stantibus Laicis lapsorum tractare rationem. Perquam enim nobis invidiosum, & onerosum videtur, non per multos examinare, quod per multos commissum videatur fuisse, & unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exiisse; quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videtur habuisse consensum*. Quam belle, quam praeclare procedit haec ratio! ut tum demum Ecclesiastica decreta firmitatem sibi vindicent, si plurimorum sint consensione munita. In eamdem sententiam Christi Confessores Moyses, & Maximus Presbyteri, Nicostratus, ac Rufinus Diaconi, ceterique loquuntur: *Non oportere grande de-*

 li-

ristum, nisi caute, ac moderate tractari consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & ipsis stantibus laicis. Quam vero hisce similia succinit Cyprianus ipse epist. 13. de his, qui ad pacem festinabant: *Legi litteras vestras, Fratres carissimi, quibus scripsistis, salubre consilium vestrum non deesse fratribus nostris, ut temeraria festinatione deposita religiosam patientiam Deo praebeant, ut cum in unum per ejus misericordiam venerimus de omnibus speciebus secundum Ecclesiasticam disciplinam tractare possimus.* Et paullo inferius ead. Epist. *Hoc enim & verecundiae, & disciplinae, & vitae ipsi omnium nostrum convenit, ut Praepositi cum Clero convenientes, praesente, ac stante plebe, quibus & ipsis pro fide, & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus.* Quid mirum ergo, si de Presbyteris suis queritur aliquando S. Martyr, quod litteris ab eo datis, & quidem multis nihil dum rescripsissent, cum sine illorum consilio nihil umquam moliretur: *Miror*, inquit, *Fratres carissimi, ad multas epistolas meas, quas ad vos frequenter misi, numquam mihi rescripsisse, cum fraternitatis nostrae vel utilitas, vel necessitas sic utique gubernetur, si a vobis instructi rerum gerendarum consilium limare possimus.* Egregium sane demissionis, ac modestiae exemplum in tantae sanctitatis, ac doctrinae viro, cum se alieni consilii necessitate teneri fatetur. Sed is erat Ecclesiae spiritus, ut vel praeclarissimos Pastores suorum Presbyterorum societate colligaret,

Hactenus de communione largienda, pauca modo de interdicenda differamus. Minitatus fuerat Felicissimus Schismaticus homo iis, qui forte Cypriano obtemperassent, a communione distractionem, vicem impio Satanae commilitoni rependit in haec verba Cyprianus epist. 38. *Cum Felicissimus comminatus sit, non communicaturos in morte secum, qui ne-*

nobis obtemperassent, *idest*, *qui nobis communicarent*, *accipiat sententiam*, *quam prior dixit*, *ut abstentum se a nobis sciat*. Verum hujusmodi verba non eo accipienda sunt sensu, ut vere in Felicissimum a Cypriano anathema fuerit intortum, cum minis tantummodo haeserit. Primo quia comminationi comminatione respondit; neque enim lenitatis erat mitissimi Praesulis, ut in crimen nondum plene admissum tam gravi supplicio animadverteret. Secundo, quod hac ipsa epistola innotescit, negotium hocce Concilio relictum, ac judicio plurimorum. *Quae omnia*, inquit, *tunc cognoscemus*, *quando in unum Collegis pluribus permittente Domino convenerimus*. Quosnam hic appellat collegas suos? Episcopos certe, ac Presbyteros suos, qui Concilio in Felicissimum habito interfuerunt, quique uno ore in Schismaticum anathema pronuntiarunt.

Haec de poenis, ad honores gradum faciamus. Et sane nemini ad sacros Ordines aditum, nisi Presbyterio adprobante, patere voluit Cyprianus. *In ordinandis Clericis*, ait epist. 38. *Fratres carissimi*, *solemus vos ante consulere*, *ac mores*, *ac merita singulorum consilio ponderare*. Quoties vero necessitas eum perpulisset, ut praeter morem ageret, nec convocato Presbyterio aliquem initiaret, uti in Aurelio contigit, purgat se Cyprianus apud suos eo ex capite, quod hujus viri spectata pietas, ac probitas nullum deliberationi relinqueret locum. Ceterum hujusmodi promotio nec a solo Episcopo profecta, neque inconsulto, aut invito Presbyterio vere dici poterat; quandoquidem sic ipsemet factum quodammodo excusat: *Merebatur enim talis Clericus Ordinationis ulterioris gradus*, & *incrementa majora*: *non de annis suis*, *sed de meritis aestimandus*. Et paullo inferius: *Hunc igitur*, *Fratres dilectissimi*, & *a me*, & *Collegis*, *qui praesentes aderant*, *ordinatum sciatis*, *quod* & *libenter amplecti*, & *opta-*

 re

re soletis tales in Ecclesia quamplurimos ordinari . Nec enim inconsulto Clero factum censeri potest , quod ad satisfaciendum optatis , & desiderium ejus explendum confectum est . Mirum in hisce verbis artificium latet & ad purgandum factum, & ad honoris testificationem, qua suos prosequebatur.

Hac eadem ratione permotus Celerinum inter Clericos retulit, Numidicumque auxit Sacerdotio. Et re quidem vera quid opus erat Presbyterii suffragio , *cùm caelesti miraculo* ille prior Clero *adjunctus fuerit* , ut loquitur Cypr. epist. 34. *Clero non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctus : qui cum consentire dubitaret Ecclesiae , ipsius admonitu , & hortatu in visione per noctem compulsus est* . Hic posterior, teste Cypr. epist. 35. Presbyteris , Diaconibus , ac plebi universae inscripta , post illustre testimonium Fidei redditum , post durissimam quaestionem , post tantam animi virtutem , ut carissimam uxorem ad latus suum pro Christo igni consumtam siccis oculis aspexerit, cum dignissimus Sacerdotio videretur , numquam eo celsitudinis animum intendere ausus esset , nisi divina dignatione admonitus , & instructus Cyprianus pene invitum , & prae modestia reluctantem ad tanti muneris dignitatem perpulisset . Quid opus erat humana consultatione , ubi divinae voluntatis tam aperta significatio prodebatur ?

At enimvero, cum expeditis Clericis opus haberet Cyprianus , per quos ad Clerum Rom. litteras mitteret, Saturum , ac Optatum sacris initiavit Lectorem alterum , alterum Hypodiaconum , praetermisso Cleri suffragio. Itane tandem ? Sed rem aliter se habuisse ex Cypriano ipso discamus epist. 24. *Fecisse autem me sciatis* , inquit , *Lectorem Saturum , & Hypodiaconum Optatum Confessorem , quos jampridem communi consilio Clero proximos feceramus* . Et infra : *Nihil ergo* (sic factum excusat) *a me ab-*

absentibus vobis factum est , sed quod jampridem communi consilio omnium nostrum coeperat , necessitate urgente promotum est. I nunc , & si animus est , hos clarissimos viros Clericorum albo inconsulto Presbyterio inscriptos affirma .

Sed quid opus est in inferioribus gradibus tamdiu immorari , cum ad Episcopatum ipsum totius Sacerdotii apicem non nisi suffragante Presbyterio aditus ex illorum temporum disciplina patuerit ? Tralatitiae eruditionis rem esse video , neque longiori dissertatione hoc loco id complecti animus est . Satis habeo , quoniam Cypriani litterae ad manus sunt , hic de Cornelii Rom. Pontificis electione aliquid adpingere , quo antiquae electionis ratio clarissime innotescat . *Factus est* , ait epist. 52. *Cornelius Episcopus de Dei , & Christi ejus judicio , de Clericorum pene omnium testimonio , de plebis , quae tunc adfuit , suffragio , & de Sacerdotum antiquorum , & bonorum omnium Collegio*. Atque hujusmodi disciplinam ad primaeva revocat Apostolica tempora, immo ex divina auctoritate descendere putat epist. 68. ad Clerum , & Plebes in Hispania : *Quod postea* , ait , *secundum divina magisteria observatur in Actis Apostolorum , quando de ordinando in locum Judae Episcopo Petrus ad Plebem loquitur : surrexit, inquit , Petrus in medio discentium : fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum , ac Sacerdotum , sed in Diaconorum Ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus . . . Propter quod diligenter de Traditione divina , & Apostolica observatione observandum , & tenendum est , quod apud nos quoque , & fere per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes rite celebrandas . . . . Episcopus deligatur plebe praesente*.

Sed quorsum haec plebis in Ecclesiasticis negotiis praesentia ? (Divertor illuc , quo spoponderam) Tria hic rata, fixaque nobis sint , oporteet. Primum, etsi

etsi plebem ad hujusmodi conventus invitatam legimus in utriusque Testamenti paginis, ut Num. X. & Act. VI. nullo tamen id mandato divino praescriptum, quod idem deinceps faciendum juberet. Id certo certius innotescet, si attendamus & primis illis temporibus aliquando, & his postremis, omnino populum ab hujusmodi Comitiis submotum. Neque enim Ecclesia quidpiam contra divinum jus ausa foret. Secundum, diversa plane ratione Presbyterium, ac Plebem convenisse, ut plebs nimirum testimonio, Clerus judicio suffragaretur. Audiatur Cyprianus cit. epist. *Instruit, & ostendit Deus Ordinationes Sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, & sit Ordinatio justa, quae omnium suffragio, & judicio fuerit examinata. Quae verba*, apposite subdit Natalis Alex. Hist. Eccl. Sec. I. dissert. 8. prop. 3. *distributive accipienda sunt, ut suffragium, sive testimonium pertineat ad plebem; judicium vero ad Clerum, & Episcopum. Dictio certe suffragii approbationem significat in Jure, & apud alios Auctores.* Et quidem alia etiam de caussa haec Populi adprobatio desiderabatur, quam a S. Leone Magno discimus epist. ad Anastasium Thessalonicensem; nimirum ne Episcopus invitis dari videretur: *Is alteri praeferatur*, inquit, *qui majoribus & studiis juvatur & meritis tantum, ut nullus invitis, ac non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum aut oderit, aut contemnat, & fiat minus religiosa, quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluerit.* Ceterum electionis judicem solum Presbyterium exstitisse ex eo patet, quod Alexandriae teste Hieronymo epist. ad Gregorium a Presbyteris solis Episcopus deligeretur: *Alexandriae a Marco usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos Presbyteri unum ex se electum in excelsiori gradu*

du collocatum Episcopum nominabant. Patet iterum, quod nonnumquam, ut diximus, plebs a ferendo testimonio Conciliorum sanctionibus arceretur. Ita Laodicenum can. 3. *Turbis non est permittendum, eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, electiones facere*. Neque id immerito; nam ipso Hieronymo attestante Lib. I. contra Jovinianum: *Nonnumquam errat plebis, vulgique judicium: & in Sacerdotibus comprobandis moribus suis favet, ut non tam bonum, quam sui similem quaerat Praepositum*. Tertium, quod etiam ex superioribus consequitur, ideo Lapsorum caussam apud Plebem quoque convocatam actam fuisse, ut nimirum, quorum defectione offensi fuerant, poenitentia erigerentur; agnoscerentque Ecclesiam spem iis reconciliationis facere, qui magnis vulneribus sibi, aliisque inflictis, acri, ac diuturna curatione mederentur: utque testes criminum fuerant, emendationis itidem dicerent testimonium.

Nunc illorum sententia refutanda est, qui cum Cyprianum legunt, omnia Ecclesiasticae administrationis capita ad Presbyterii sui & arbitrium, & consilium retulisse, id S. Praesulis indulgentiae singulari erga suum Clerum, non ulli legis necessitati apponunt. Id enimvero falsissime, aut, ut levius dicam, temere affirmari contendo. Nam qua ratione id instituti singulariter Cypriano tribuemus, cum Cyprianus ipse testis sit hoc item Romae, quae Ecclesiarum omnium instar erat amplissimum, obtinere? Sic enim Cornelium compellat epist. 55. *Quamquam sciam, Frater carissime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentissimo Clero illic tecum praesidenti . . . . . legere te semper litteras nostras*. Deliberabat ergo cum Cornelio Clerus Romanus illic cum Pontifice praesidens super rebus a Cypriano scriptis. Et ad Lucium Papam epist. 68. cum Episcopo Presbyteros Sacerdotali honore conjunctos monet, perinde ac si rationem

 red-

redderet, quare cum Episcopo Presbyteri praesiderent. Fortunatum item, ac Feliciſſimum non a ſolis Epiſcopis aſſerit judicatos, ſed a Presbyteris, ac Diaconibus; quibus Sacerdotii vigorem non defuiſſe docet epiſt. 55. ad Cornelium Papam. Haec iterum diſciplina Aſiaticas Eccleſias non latebat, quando Firmilianus apud Cyprianum epiſt. 75. haec habet: *Qua ex cauſſa, inquit, neceſſario apud nos fit, ut per ſingulos annos Seniores, ac Praepoſiti, ideſt Presbyteri, & Epiſcopi in unum conveniamus ad diſponenda ea, quae curae noſtrae commiſſa ſunt, ut ſi quae graviora ſunt, communi conſilio dirigantur.* Quomodo ad indulgentiam referemus, quod Cyprianus neceſſitati diſciplinae diſerte aſſignat? *Ut cum in unum*, ait epiſt. 13. *venerimus, de omnibus ſpeciebus ſecundum diſciplinam Eccleſiaſticam tractare poſſimus*. Adhuc luculentius epiſt. 17. *Quae res cum omnium noſtrum conſilium, ac ſententiam exſpectet, praejudicare ego, & ſolus rem communem vindicare non audeo; & ideo ſtetur interim epiſtolis meis, quas ad vos proxime feceram; quorum exemplum Collegis quoque multis jam miſi. Qui reſcripſerunt, placere ſibi, quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec pace nobis a Domino reddita in unum convenire & ſingulorum cauſſas examinare poſſimus.* Quantivis pretii hoc teſtimonium eſt! Diceſne integrum fuiſſe Cypriano omnium partes ad ſe corripere? aliis injuriam afferre? rem communem ſolum tractare? Atque id demum benignitati dabis, ac favori; an non juſtitiae potius, ac neceſſitati? Jure ergo ubique ſibi conſtans eſt, ac ſe non *potuiſſe* affirmat ſolitarie judicare, *cum multi adhuc de Clero abſentes eſſent*: locus ſuperius recitatus eſt. Patet ergo, quo ſenſu aſſeruerit, ſibi ab initio Epiſcopatus propoſitum fuiſſe nihil ſua privatim ſententia gerere. Quae ut in benigniorem partem interpreteris, non poteris evadere, quin affirmes, cum diſciplinae ne-

necessitas Cyprianum adegerit, ut graviora negotia cum Presbyterii assensu gereret; eam illi fuisse religionem, ut nihil omnino privatim ac sua sententia moliretur. Nimirum probe norat peritissimus vir, atque in Scripturis apprime versatus suas esse & Episcopo, suas esse & Presbyteris partes, in eo praecipue sitas, ut Episcopis & consilio essent, & adjumento in Ecclesiasticae provinciae procuratione. Id ipsemet aperte testatur; cum nempe ad tempus recessisset, eo quod primi ordinis Pastores persecutio impeteret, in hunc modum Presbyteros alloquitur suos epist. 4. *Peto vos pro Fide, ac Religione vestra, fungamini illic & vestris partibus & meis, ut nihil vel ad disciplinam, vel ad diligentiam desit.* Pares erant Presbyteri igitur & suis, & Episcopalibus partibus implendis; quae scilicet universa Pastorali cura definiuntur.

Id ea ratione monere volui, ut non solum Episcopo e vivis sublato, sed vivente adhuc posse contingere innotescat, ut solidum Ecclesiae regimen ad Presbyteros redeat. Et quoniam huc sermo noster evasit, ut Cyprianicae secessionis meminerimus, non committemus, ut aliud Rom. Cleri testimonium praetermittamus, quo sollicitudinem omnem, ac pastoralem jurisdictionem in secundi Ordinis Sacerdotes absente Pastore migrasse demonstremus. Cum ergo malam in partem hujusmodi B. Martyris fugam interpretatus esset Rom. Clerus, ad Carthaginensem Clerum litteras sollicitudinis plenas dedit, epist. inter Cypr. 8. alias 3.; quibus etsi significant, Cypriano fortasse probabiles rationes non defuisse, quibus id consilii ceperit, ut solum verteret: eas tamen sibi non probari; ipsum potius videri muneri suo defuisse; se mercenarium potius praestitisse, quam verum Pastorem; utpote qui lupo instante, gregemque invadente se in pedes conjecerit. Hortantur ergo summo studio Carthaginense Presbyterium, ut in ministerii

sui

ſui functionibus perſeverarent immobiles ; fratribus in ancipiti illo certamine adeſſent, caverentque, ne prae lapſorum multitudine caeleſte aedificium collabaſceret. Pergunt porro & exemplo ſuo illis incitamento eſſe: ſe videlicet Romae nulla formidine deterritos, quin & praeſentia ſua ſtrenuis animos adderent, uti immobiles in Fide perſeverarent; & imbecilles deterrerent, atque avocarent, cum jam jam Capitolium aſcenderent profanis ſacrificiis adſuturi: ſeſe lapſos non deſeruiſſe, quin potius brachium utrumque porrexiſſe, uti erigerentur aliquando. Haec uti a me recitata ſunt, quid aliud probant, niſi Paſtoralem curam in ſolidum a toto Presbyterio poſſideri; atque alterutrius partis negligentiam, aut ſocordiam, alterius ſtudio, atque accuratione ſuppleri? Nolim interea aliquid maculae in ſanctiſſimi Praeſulis, atque invictiſſimi Martyris exiſtimatione apud aliquem fortaſſe haerere. Quapropter nemini dubium eſſe volo, quin ſe rectiſſime geſſerit in hac ſeceſſione ſua Cyprianus tum ob alias egregias rationes, quibus ſe ipſe apud Romanos pleniſſime purgat; tum ob illam praecipue, quae rem noſtram maxime juvat, quod quemadmodum Rom. Cleri vigilantia poſt obitum inclytae memoriae Fabiani Pontificis factum eſt, ut ſicut Supremo Paſtore Eccleſia univerſa ſeſe viduatam pene non ſenſerit; ita quoque confideret fore, ut Presbyterio pro Fide ſua, ac Religione ſtrenue advigilante, nihil Carthaginenſis Eccleſia detrimenti caperet.

Et jam eo loci ſumus, ut eventus nonnullos evolvamus, quibus non jam optimorum Antiſtitum, qualis erat inter primos Cyprianus, vices gereret Presbyterium, ſed contra peſſimos, ac male ominatos Paſtores adverſa fronte decertaret; ac pro tuenda, aſſerendaque catholica orthodoxa fide praelium committeret. Tertio medio ſeculo Paullus Samoſatae in Syria ortus, unde ei Samoſateni cognomen hae-

haesit, quibus artibus ignoratur, ad Antiochenam Sedem obrepsit. Ante Episcopatum tenuissimi patrimonii homo, accepto statim honore sceleribus, sacrilegiis, concussionibus, rapinis opulentissimus evasit. Superbus item supra quam dici possit, ac gloriae cupidissimus, Ethnicis etiam dignitatibus inhians *Ducenarii* sibi titulum comparavit, eoque potius, quam Episcopi nomine, gloriabatur. Amplissimam quoque Cathedram propudiosa conspurcavit libidine, duasque eleganti forma in comitatu habebat puellas; Clericisque sui similibus foeminarum permisit contubernium, ut flagitio grassante inter plures, minus objurgationibus pateret. Ingemiscebant secreto hisce tam grandibus malis florentissimae illius Ecclesiae Presbyteri, ac praeter fas impii Praesulis tyrannidem reformidantes, ac potentiam; eo quod se se in fidem dedisset Zenobiae potentissimae Reginae, cui in Judaicam sectam propensae assentari statuerat, eum tot immanium criminum postulare non audebant. Cum porro animadverterent non exemplo tantum suo commissi gregis mores corrumpere; verum etiam impio procuso dogmate intemeratum Fidei depositum maculare (asserebat quippe Christum Jesum semper non fuisse, nec ante Virginem Mariam; Verbum, ac Sapientiam in eo inhabitare, sed quae tum primum hypostasin habere coeperit a Patre distinctam, cum in Virginis utero Christus formatus est) immensi piaculi loco amplius silere duxerunt. Non igitur Sedis amplitudinem, quam male foedaverat, veriti, non divitias, quibus affluebat, non Principum potentiam, qua intumescebat; vicinos Episcopos in belli societatem contra perditum Antistitem advocantes pluries in os ejus, in eadem urbe, in facie ejusdem Ecclesiae, quam suis blasphemiis offenderat, convenerunt, ei dicam scripsere, uti judicio se se sisteret, suaeque Fidei redderet rationem; tum perduellem, ac pervicacem Haereticum frustra

sae-

saepe admonitum anathemate percussum, throno, quem male occuparat, deturbarunt; ac Gregem e saevientis lupi faucibus perdere, ac mactare cupientis, eripuere. Illud hic silentio non est praetermittendum, quod narrat Eusebius Lib. 7. cap. 29. ad hanc Synodum Antiochenum Presbyterium una cum exteris Episcopis frequentissimos confluxisse Presbyteros, ac Diaconos. Inter hos porro emicuisse sapientia, ac disputandi vi Malchionem Antiochenum Presbyterum, qui perfidum hominem, uti damnationem declinaret, ambiguis cavillationibus se se obtegere pro viribus satagentem detexit, atque appositis interrogationibus eo perpulit, ut palam, ac sine ulla tergiversatione impiam doctrinam proferret. Eodem hoc Malchione, quod eloquentia, atque eruditione praestaret, usi sunt Concilii Patres ad Synodales litteras conscribendas, quas tum ad Dionysium Rom. et Maximum Antiochenum; tum ad ceteros per Orbem Episcopos dedere, quibus & perversos Paulli mores, & impiam ejus doctrinam, tum damnationis, quam tenuerunt, rationem significarunt. Cui epistolae praeter sedecim Episcopos Malchion ipse & Presbyteri non pauci inscriptione praeeunt. Hos porro non Concilii Theologos, aut consilii ergo adhibitos, sed veros cum Episcopis judices exstitisse ex eo constat, quod una omnes epistolae Synodicae inscribuntur, ad hunc modum: *Dionysio, & Maximo, & omnibus per universum Orbem comministris nostris Episcopis, Presbyteris, ac Diaconibus Helenus* (qui consequuntur Episcopi sunt) . . . *Malchion, & Lucius* (certe Presbyteri) *& reliqui omnes, qui nobiscum sunt vicinarum Urbium Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi*. Apud Euseb. lib. 7. cap. 30. Quis porro hic se contineat, quin hos clarissimos Presbyteros Fidei assertores, antesignanos, immo & Custodes Depositi honorificentissima nomenclatione cohonestet?

Ho-

Hosce acerrimos commilitones imitati sunt quinto jam adolescente seculo Constantinopolitani Presbyteri; quemadmodum Paullum ipsum Nestorius, qui pestifera, & exitiali haeresi ad ista usque tempora superstite totum Orientem implevit. Cum nempe Hominem in Virginis utero de Spiritu Sancto conceptum alium esse effutiret ab Unigenito Dei; sanctissimamque ejus Parentem non θεοτοκον, sed χριστοτοκον appellandam praefracte contenderet, non ausus ipsemet tantam blasphemiam in vulgus efferre; Dorotheo cuidam Episcopo, & Anastasio Presbytero, quos suos effecerat, imperavit, uti anathema in eos pronunciarent, qui Beatissimam Virginem θεοτοκον assererent. Id impudentissime in ipsa Constantinopolitana Basilica, uti jussi fuerant, nefarii perfecerunt emissarii, ibique in Cathedra sedente, ac probante Nestorio, impiis hisce vocibus Templum illud sanctissimum polluerunt. Incredibile porro dictu est, quanta omnium ordinum commotio, quis horror, quae execratio vix pronunciatam haeresim consecuta sit. Et principio quidam Monachus quidam Religionis studio incensus Anastasium palam haereseos postulatum Ecclesiae aditu prohibere conatus, Nestorii potentia oppressus flagris caesus in exilium actus est. Nihil interim hac contumelia profecit Nestorius; Monachi quippe omnes, Populusque Constantinopolitanus, quin & Senatores ipsi, veriti ne impii hominis communione se se contaminarent, sacris Synaxibus abstinuere. Non ultra moliri Laicis licuit. Sed quid amplius, immo amplius multo Presbyteri praestiterunt. Nimirum a sacrilego Pontifice seorsum in Ecclesiam, quae Irene maritima dicebatur, convenientes, haereticum dogma palam coarguere coeperunt. Cum nempe intelligerent, gravissimum Gregi periculum ab iniquo Pastore imminere, Pastoralem curam, quam conjunctim ad id temporis subierant, totam in se conversam arbitrati

sunt

sunt; suique muneris esse quanta maxima sollicitudine providere, ne ab ipso capite efficacius se, ac facilius in membra omnia virus dimanaret. Hujus studii, diligentiae, atque invictae constantiae nomine collaudati sunt primo a Cyrillo Alexandrino, cui in profligando Nestorio palmam nemo praeripiet. Nam cum Pontificia auctoritate instructus habita Alexandriae Synodo ex universa Aegypti Dioecesi Nestorium damnasset, in eumque anathematis sententiam, nisi resipisceret, protulisset; litteras ad Clerum Constantinopolitanum perhonorificas dedit, quibus de re gesta edocerentur, & ad Fidem Catholicam tuendam inflammarentur vehementius; ac monerentur interim communicandum cum iis esse, quos perperam Nestorius communione interdixerat. Commendati sunt iterum a Pontifice Caelestino, qui & ipse postquam Concilio Romae habito Nestorium anathemate ictum exauctoravit, Clero Constantinopolitano scribendum censuit, ut constans in Fide permaneret, neve ulla ex parte labasceret persecutionis metu, quam contra Fidei vindices sacrilegus Patriarcha commorat. Quid plura? Ab hisce celebrandis nec ipsa abstinuit Ephesina Synodus Oecumenica Synodica epistola sua ad Clericos, & Oeconomos Ecclesiae Constantinopolitanae data, qua eos de Nestorii abdicatione certiores facit, & Ecclesiam, resque Ecclesiasticas commendatas iis jubet esse ad novi usque Pastoris inaugurationem. Ecce vero epistolae επιγραφην: *Sancta Synodus, quae per Dei gratiam convenit, dilectis, & desideratissimis Comministris Constantinopoli agentibus, & religiosissimis ejusdem Civitatis Presbyteris, & Diaconis*. Hos non Comministros modo, sed etiam Concilii membra appellat: *Vos*, addit, *Oecumenicae Synodi membra estis, qui pietatis zelum per omnia ostenditis*. Erant porro hi Presbyteri membra Concilii non actu quidem, nam a Concilio aberant. Ergo jure; locus quippe, quem in Hierarchia obti-

obtinebant, jus illis certe tribuebat, ut cum Episcopis & adessent, & judicarent. Quo nil certe disertius ad vindicandum Presbyteris jus suffragii, & quidem definitivi in ipsis Generalibus Conciliis, immo etiam in caussis dogmaticis. Adeatur de toto hoc negotio Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. V. art. 12. Haec vero gemina Historiae Ecclesiasticae satis insignia monumenta ideo fusiori stilo a nobis deducta sunt, uti constet, sanctissimo, sapientissimoque consilio factum esse, ut singulae Ecclesiae Presbyterio instruerentur, nempe ut si quid humani Pastores aliqui paterentur, haberent in hoc lectissimo Senatorum Concilio & Pastores ipsi ad resipiscendum monitores, & Ecclesia praesidium, ne quid interim detrimenti majorum ruina pateretur.

Age nunc perfuncti longiori fortasse disputatione, cujus occasionem Cypriani testimonium recensentes nacti sumus, institutum ordinem prosequamur. Et quoniam nonnulla ex Eusebio Caesariensi delibavimus ad rem nostram facientia, non gravemur alia duo proferre monumenta. Is ergo Lib. 6. Hist. Eccl. haec habet de Origene: *Qui maxime probati, ceterisque per Palaestinam praestabant, Theotistes Caesareae, Alexander Hierosolymorum Episcopi cum praerogativis, supremoque honore dignum Origenem probavissent; ei manus, ut Presbyterio fungeretur, imposuerunt*. Vide, quanta insederit his praestantissimis Patribus Sacerdotii opinio, ut illud supremi in Ecclesia honoris nomine appellent; quo nescio quid dignius de Episcopatu ipso dici queat, quem supremum apicem nuncupare moris est. Libro iterum 7. Demonstr. Evangel. §. 2. sic Eusebius: *Tres in Ecclesia quoque ordines sunt, Ductorum unus, subditorum vero alii duo; Ecclesiae Christi in duas classes populo diviso, alteram Fidelium, alteram eorum, qui regenerationis lavacro digni nondum habiti sunt, idest Catechumenorum*. En doctissimus Episco-

ſcopus cum nominis communione Eccleſiae adminiſtrationes ad Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos, Ductores videlicet perſpicue docet pertinere.

Accipe nunc ex Hilario pulcherrimam aliam totius Eccleſiae diviſionem, in Sacerdotes ſcilicet, Miniſtros, & Subditorum populum univerſum. Locus integer recitandus eſt; Commentario quippe in Pſal. 134. hos verſus exponens: *Domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum, qui timetis Dominum benedicite ei:* haec ait: *In his nominum, atque officiorum diſtinctionibus omnem Eccleſiae Populum complexus eſt . . . . In Aaron Sacerdotes ſignificari non ambiguum eſt. Sacerdos enim in Lege primus fuit Aaron, & exinde in ſucceſſione ejus Sacerdotum honor manſit. In Levi autem Miniſtros oſtendi abſolutum eſt: haec enim Tribus in Miniſterium electa eſt. Reliquus autem Populus, cui non Sacerdotii nec Miniſterii, ſed timoris officium eſt, in iis, qui timent Dominum nuncupantur*. Vides hic omnino Hilarium promiſcuo Sacerdotum vocabulo uſum ad deſignandos utriuſque ordinis Sacerdotes, Presbyteros Epiſcopis pene ſuppares facere: cumque iterum populum eo a Miniſtris, ac Sacerdotibus diſpeſcat, quod huic in *timore*, ſive in obſequio partes ſint; perquam evidens eſt, prioribus illis, id eſt toti Presbyterio, Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, ſacrum imperium convenire.

Magnum Baſilium in noſtrae cauſſae patrocinium poſſe etiam accerſere quanti demum reputabimus? Ecce autem tibi locus Comm. in cap. 4. Iſaiae: *Quantuſcumque praeſidentia dignus habitus, & Presbyterio adſcriptus, ſive qui Presbyteri characterem irreprehenſibiliter portat, maxime vero uxoris expers, hic Presbyter eſt: ſi vero ſecundum Domini legem unius uxoris vir . . . hic Preſbyter eſt*. Rurſus Moralium Reg. 71. congeſtis in acervum Paulli de Sa-

sacrorum Ministrorum officio locis, sequens caput hoc notat titulo: *Quaecumque de Episcopis, & Presbyteris conjunctim dicta sunt*. Vel nullo monstrante deprehendis hic & Presbyterorum praesidentiam, & praecepta a Paullo Episcopis imposita, eadem ad Presbyteros spectare, quorum sane praeceptorum cum nonnulla Ecclesiae gubernationem evidentissime spectent, ut illud in primis: *Si quis domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit;* quis sane tam impudens erit, ut Ecclesiae regimen Presbyteris abjudicet?

Basilio Chrysostomum adtexam, quod in eamdem sententiam, & vehementius fortasse loquatur. Hic quippe quaerens, qua demum ratione factum fuerit, ut Apostolus ad Timoth. VII. sacros Ecclesiae Ministros informans, postquam Episcopis vitae rationem praescripsit, praetermissis omnino Presbyteris, ad Diaconos instituendos gradum facit, haec habet intento digito notanda verba: *Omisso Presbyterorum Ordine ad Diaconos transiliit. Cur id vero? quia non multum interest. Ipsi enim ad doctrinam, Ecclesiaeque praesidentiam ordinati sunt. Quaeque de Episcopis dixit, eadem Presbyteris coaptat: sola enim Ordinatione supra eos ascenderunt, & hoc solo Presbyteris superiores esse videntur*. Locus auro contra aestimandus, quique eo dignitatis attollit Presbyterorum coetum, ut Episcopis ferme pares faciat, solaque ordinandi potestate hosce illis anteponat. Quodque sedula animadversione dignum censeo, illud est, non ex Presbyteris quempiam suis assentaturum ita scripsisse; sed Episcopum, & quidem sapientissimum, ac jurium, quae dignitatem suam spectarent, nihil certe ignarum; immo alibi assertorem acerrimum. Neque id a Chrysostomo temere dictum; quippe cum Evangelicum Sacerdotium in ratione imaginis sit adeo perfecta imitatio Sacerdotii Christi, ut nil ad eam perfectionis pos-

ſit accedere, omnino fit, ut Epiſcopatus non ſit, niſi extenſio quaedam Sacerdotalis poteſtatis, ac characteris in eo ſita, ut Sacerdotes alios creare poſſit. Similia plane opinatus eſt Angelicus Doctor, ejuſque Schola.

Ab elegantiſſimo, facundiſſimoque Scriptore Graeco, eodemque Patre doctiſſimo ſejungendus non eſt Latine, Graece, & Hebraice peritiſſimus Hieronymus; uterque nimirum ſibi mirifice concinit. Hujus quippe recitatur vulgaris illa diſerte rem noſtram fovens ſententia; *Quid facit Epiſcopus excepta Ordinatione, quod non faciat Presbyter?* Sed video me ſalebroſam, atque impeditiſſimam viam eſſe ingreſſum in Hieronymi teſtimonio proferendo. Hic nempe tam acer eſt, ac vehemens, ut periculum ſit, ſi prima fronte judicium feratur, atque oſcitanter, perfunctioreque textus verba percurrantur, ne de Epiſcopali dignitate Catholicam quis veritatem minus aſſequatur. Et revera ſatis intemperanter, ne dicam irreligioſe, Medina lib. I. de Sacrorum hominum origine cap. 5. non ſolum Hieronymum, ſed & Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theophylactum, & Oecumenium, magna in Eccleſia nomina, paria cum Aërio ſenſiſſe autumat. Quae quidem opinio injuria adeo erga recitatos hoſce Patres viſa eſt Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 15. ut temeritatis nota eam conſignet. Licet Bellarminus ipſe, ac Maldonatus Tract. de Ordine quaeſt. 4. cap. 8. Hieronymum in ea fuiſſe ſententia credant, ut Epiſcopos putarit jure dumtaxat Eccleſiaſtico Presbyteris praeſtare; si poteſtas tamen juriſdictionis ſpectetur. His ita praefatis Hieronymi modo verba promenda ſunt. Explicans igitur illud Apoſtoli ad Titum cap. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, ſic habet in Comment. cap. 4 *Idem eſt ergo Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fie-*

fierent, & diceretur in populis: Ego sum Paulli, ego Apollo, ego vero Cephae; communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertinebat, ut schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum, ac Presbyterum unum esse, relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis, Paullus, & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis, gratia vobis, & pax. Philippi una est urbs Macedoniae. Et certe in una Civitate plures (ut nuncupantur) Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus... Haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paullatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine, ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis Ecclesiae consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate, Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus praeesse Populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus Populum judicaret. Iterum epist. 85. ad Evagrium: *Quod autem*, inquit, *postea unus electus est, qui ceteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam, ac Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant; quomodo si exercitus*

citus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.

Non illud nunc hic ago, qua nimirum ratione hi Hieronymi textus ad orthodoxum sensum convertantur. Novi id a Theologis nostris, & quidem summi subsellii optime praestitum, quibus subscribens ratum esse volo, Hieronymi verba eum sensum facile pati, ut Episcopos asseramus cum Ecclesia Catholica Presbyteris & Ordine, & jurisdictionis potestate praestare. Quod porro isthaec excellentia a jure divino descendat, non facile Hieronymum suffragatorem habebimus, nisi ejus dictis manifestam vim velimus afferre, saltem si excellentiam illam utraque potestate definiamus. Sed quoniam nostrae caussae nobis servire propositum est; age in ea verba oculos conjiciamus, ubi diserte tradit Hieronymus ante Corinthiacum schisma communi Presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas. Hunc enim locum praecipue tractandum suscipimus, quod aliquis inde posset utcumque colligere, post memoratum schisma antiquum morem exolevisse, totoque in Orbe decretum, ut unus de Presbyteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret. Is enim scrupulus omnino eximendus est, ne tota aedificii moles uno impetu collabi videatur. Ajo itaque pristinum morem adhuc exacto Corinthiaco schismate perstitisse immotum, ac laudata Hieronymi verba eo accipienda sensu, ut cum prius ante schisma Presbyteri nullo sub capite Ecclesiam administrarent, qua ex re schismati occasio patuit, exinde decretum fuisse, ut unus ceteris superponeretur, non quidem aliis administratione exclusis; sed tamen unius directioni obnoxiis. Ad eumdem ferme modum, quo cum dixit Apostolus omnium Ecclesiarum sollicitudinem suis humeris imminere, ceteris Ecclesiae ministris sollicitudine non interdixit, sed Apostolatus jure potiorem sibi partem vindicavit.

Id

Id certo certius unicuique patere affirmo, si animadvertit 1. ad ea verba : *Ego sum Paulli, ego sum Cephae, ego Apollo;* quibus significatur, unumquemque Presbyterum ἀνυπευθύνως, *sine directione*, sibi suos aggregasse discipulos. 2. Hieronymum Episcopos inter, ac Presbyteros ἰσοτιμίαν probare argumento, quod sumit ex Epist. ad Philippenses, ubi *eosdem dicit Episcopos illo tempore, & Presbyteros appellari: propterea indifferenter*, subdit, *de Episcopis, quasi de Presbyteris* Paullum locutum. Scripta vero est haec epistola anno a morte Domini nono, ac vicesimo. Laudat etiam Hieronymus in idem argumentum Epistolam ad Hebraeos eodem anno datam. Laudat iterum scribens ad Evagrium Epistolam ad Timotheum, quae ad tertium, ac tricesimum annum pertinet. At Corinthiacum schisma in annum incidit vicesimum, aut primum, ac vicesimum a Christi morte. Omnino ergo consequitur, & post schisma memoratum eamdem disciplinam, licet ex parte temperatam viguisse. 3. Hieronymus aetate sua, diu scilicet post Corinthiacum schisma, Episcopos scribit una cum Presbyteris debere Ecclesiam regere. Sic enim in suis in Epist. ad Titum Adversariis Episcopos monet: *Ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam Dominicae dispositionis veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*. 4. Adhuc luculentius Epist. ad Evagrium 85. Edit. Basileensis sua tempora respiciens ait: *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Sentiebat ergo Hieronymus sua etiam aetate communi, licet dissimili, Episcopos ac Presbyteros in regenda Ecclesia auctoritate potiri. Antequam vero Hieronymum desero, nolim mihi animadversiunculam excidere in illa verba, quibus dicit Episcopos debere Moysen imitari: *qui cum haberet in potestate solus praeesse Populo Israël, se-*

ptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret, hoc scilicet argumentum ab exemplo petitum procedere, non a pari, sed, ut ajunt, a majori ad minus: si nimirum Moyses, cui a Deo fuerat datum, ut solus Populo praeesset, consortium septuaginta seniorum adscivit, quam sapientissimam agendi rationem auctoritate sua Deus sanxit, quanto magis Episcopis Presbyterorum in Ecclesia administranda societatem respuendam non esse, quando & Presbyteri etiam ad idem regimen divinitus acciti sunt, quippe non mere Monarchicum, sed Aristocratia temperatum a sanioribus Theologis asseritur? Sit denique coronidis loco Hieronymus ipse, qui Epist. ad Nepotianum ait: *Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos: honorent Clericos, quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu me non habeas, ut senatorem*. Subjicit deinde, *Episcopum, ac Presbyteros in unam Sacerdotalem familiam, in unum coalescere Sacerdotium, mutuis devinctos officiis, ut Aaronem, ac Filios ejus: quod Aaron, & Filios ejus, hoc Episcopum, & Presbyteros esse noverimus. Unus Dominus, unum Templum, unum etiam sit ministerium*: Quam belle procederent omnia, si sic animati essent Episcopi invicem, ac inferioris Ordinis Ministri!

Hieronymum excipiat Ambrosius, qui Off. lib. 2. cap. 27. Episcopum monendum censuit, ut Clericos suos, maxime Diaconos, veluti quaedam sui corporis membra reputaret: *Episcopus*, ait, *ut membris suis utatur Clericis, & maxime Ministris, qui sunt vere filii: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet*. Id de Diaconis, quid vero dicturus de Presbyteris? Parentis certe loco habendos vult: *Sed & Sacerdotem convenit, Presbytero deferre, ut parenti*. Quid luculentius ad significandam

com-

commmnem utrique Ordini Ecclesiae procurationem, licet haec alteri, ut capiti, alteri, ut membris conveniat?

Ab Ambrosio non facile divellendus Augustinus ejusdem rei disertissimus testis; nam lib. 3. contra Parmen. cap. 2. Presbyterorum in Ecclesia προεδρίαν agnoscit, Laicis asserens posse a Presbyteris communione interdici, quemadmodum Episcopis potestas est Clericos exauctorandi: *Quam facile de gradu Clericorum*, inquit, *quisque ab Episcopo, vel de Congregatione Laicorum sive ab Episcopo, sive a Clero, sive a quocumque Praeposito, cui potestas est, eximitur*. Episcopis ergo, ac Clericis, majoribus certe, qui Praepositorum nomine decorantur, sacrum in Laicos Fideles imperium est demandatum. Adhuc disertior locus est in Epist. 21. ubi factam sibi vim conqueritur, cum ad Sacerdotium evectus est: *Vis mihi*, inquit, *facta est merito peccatorum meorum* (*nam quid aliud existimem, nescio*) *ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram*.

Adjungam Augustino Auctorem quaestionum veteris, ac novi Testamenti inter opera Augustini relatum, quem eumdem esse cum Auctore Commentariorum in Epistolas Paulli, nimirum Hilarium Sardum Ecclesiae Rom. Diaconum autumant eruditi. Is quippe, ut sodales suos Rom. Diaconos fastu tumentes, ac se se efferentes supra Presbyteros comprimeret, longius certe fervore disputationis abripitur, ac Sacerdotum dignitatem cum Episcopali componit: *Qua lege*, inquit, *quave consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat* (Diaconus) *nullum scire arbitror, ut istos* (Presbyteros), *quibus in Ecclesia consessus datus est, minime iis coaequet, qui propter quod Antistites Dei sunt, in domo Dei, & in honore Christi cum dignitate consistunt*. In Diaconos igitur invehitur, quod Sacerdo-

tem Antistiti aequalem non habeant, atque Episcopo subesse contenti, subjici Presbyteris dedignentur, cum sedendi honor in Ecclesia Christi utrisque conveniat. Id quidem acerbius aliquanto. Subdit vero: *Quid est Episcopus? nisi primus Presbyter, hoc est Summus Sacerdos. Denique non aliter, quam Compresbyteros, & Consacerdotes suos. Numquid & Ministros Condiaconos suos dicit Episcopus?* Haec porro magis veritati consona. Quis enim aliquando Episcoporum erubuit Sacerdotes Compresbyteros, ac Consacerdotes appellitare? ne litem hic interea de Condiaconis Auctori moveam; cum scitum sit a Basilio hoc nomine condecoratos Sabinium, Eustathium, atque Elpidium Diaconos suos in fronte litterarum, quas ad eos conscripsit. Stultus vero sim, si monere hic velim Lectores Compresbyteri, ac Consacerdotis vocabula, ministerii, atque administrationis indivulsam societatem designare.

Sed omnino operae pretium facturi videbimur, si quaedam hic inferamus ex auctore opusculi de septem Gradibus, sive Ordinibus Ecclesiae, qui quamvis Hieronymus audiat, quod inter ejus opera recensitus sit liber, apertissima tamen sententiarum, ac styli dissonantia facit, ut opus S. Doctori abjudicemus. Hoc sane testimonio eo vel magis oblectamur, quod cum totus esse videatur Auctor in amplificanda Episcopali dignitate, ut Clericos velit in manibus Episcopi esse argillae instar, ex qua vas quodlibet pro lubitu suo queat effingere, de Presbyterorum tamen & honore, & officiis veritate adactus tacere non potuit. Accipe ergo ejus sententiam. *Sextus seniorum Ordo est, qui Sacerdotibus datur, qui Presbyteri dicuntur, qui praesunt Ecclesiae Dei, & Christi Sacramenta conficiunt: hi autem cum Episcopo consortes ministeriorum sunt .... Nemo hinc Episcoporum invidia Diabolicae tentationis inflatus irascatur in templo, si Presbyteri interdum*

ctum exhortentur plebem, si in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant. Etenim abnuenti mihi ista sic dicant, qui non vult Presbyteros facere, quae jubentur a Deo, dicat, quis major est..... ab initio, ut legimus, negotiorum judices esse mandati sunt Presbyteri. Quoniam ipsi Presbyteri, ut legimus Episcopi nuncupantur (respicit hic Apostoli testimonium) *Presbyterum Episcopum dici ab Apostolo, & in Presbytero summum Sacerdotii collocari intelligis ..... atque ita est, ut in Episcopis Dominum, in Presbyteris Apostolos, qui & ipsi sunt, recognoscas ..... In Subdiaconis Angeli, in Diaconibus Archangeli, in Presbyteris Apostoli, in Episcopis Deus.* Dilucide hic Episcoporum praestantia (quod est Fidei Dogma) elucet, sed non minus Presbyterorum munera innotescunt, quippe quibus & praeesse, & Apostolos ipsos referre adscribitur. Merito igitur nonnullorum Episcoporum δεσποτειαν carpit, quod excluso Sacerdotum consortio soli affectent principari: *Quis ergo*, inquit, *o Sacerdotes, vester honor est, ut damna gregibus inferatis? Quoniam, cum Pastoribus per potentiam vestram aufertur Deo digna diligentia, contagium quoddam, ac calamitas crescit in gregibus, ac Deo nostro non patrimonii damna conquiritis, dum soli vultis in Ecclesiis potentari.* Summi igitur detrimenti loco habendam jubet αυτοκρατειαν.

Incerti nominis auctores produxi non eo quidem consilio, ut ex eorum scriptis sententiae meae fidem inconcussam conciliarem, sed ut disciplinae suis temporibus vigentis rationem testarentur. Qua in re si quid ad veritatis normam minus exactum iis excidisset, mendacii facile potuissent coargui. Nec cuiquam jure aliquid sinistri de iis suspicari fas est, cum certissimae auctoritatis scriptoribus mire consentiant; sive illis, qui aetatem suam praecesserunt, sive iis, qui subsecuti sunt.

V.

V. Seculi testem Magnum Leonem damus, qui Serm. 1. de collectis Fideles hortatur, ut Manichaeos latentes Presbyteris denuntient Sacerdotali auctoritate excommunicatione multandos: *Quod ideo*, inquit, *vestrae notum facimus sanctitati, ut hujuscemodi homines a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur*. Quadrag. 4. cap. 5. quae res nonnisi coacta Synodo: *Residentibus*, ait, *mecum Episcopis, ac Presbyteris expedita*.

Prodeat nunc Magnus Gregorius VI. seculi testis doctissimus aeque, ac veteris disciplinae retinentissimus. Is Romae Synodum habuit ad perpurgandas quasdam, quae in Ecclesiam irrepserant, corruptelas. Concilio aderant non Episcopi solum ad viginti tres, sed & Presbyteri quatuor ac triginta, qui Synodo subcripsere. Res patet ex lib. 4. Regesti cap. 88. Ibi: *Gregorius cum Episcopis omnibus, & Rom. Ecclesiae Presbyteris residens, adstantibus Diaconis, & cuncto Clero*. Aliud iterum ab eodem Pontifice collectum est Concilium an. sexcentesimo primo, cui cum Presbyteris novem Episcopi quinque interfuerunt. Adeatur ejusdem Regest. Liber 9. pag. 439. Neque dicas consilii solius caussa ad ejusmodi conventus accitos Presbyteros; nam quo minus ita reputemus, subscriptiones faciunt, quae rerum definitionem, non merum consilium sapiunt. Et quidem jure suffragii super quaestionibus discutiendis Presbyteros fuisse potitos non solum anathema communi voce prolatum demonstrat, uti in Concilio Romae habito ad corpus B. Petri, operum Greg. tom. 1. ubi: *& responderunt omnes per singula capita tertio, anathema sit*; sed etiam verba indicant ipsius Pontificis: *Gregorius dixit, postquam textus oblatae petitionis innotuit: Probus Abbas paullisper abscedat, ut de his, quae petit, cum Fratribus, Filiisque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus: quo recedente, postquam diu de petitione tracta-*

ctatum est, *dixit Papa Gregorius: Probus Abbas rursus adveniat, ut ea, quae nobis cum Fratribus, Filiisque nostris in commune visa sunt, censeamus.* Intuemur hic Rom. Pontificem cum Presbyterio suo super Ecclesiasticis rebus ubique deliberantem. Ac sane fateri oportet, si alicubi primitiva Ecclesiae disciplina, quae tota in consortio, ac societate est, effloruit, Romae certe diligentissime, summaque religione a primis temporibus ad hanc usque aetatem obtinuisse. Innumera sunt, quae proferri possent exempla, & fortasse commodiore loco. Neque enim aliud decebat institutum Ecclesiarum omnium Parentem, ac Magistram, quae ceteris normam, & exemplar erat praebitura. Hinc minime mirari subit, si idem Pontifex lib. 11. Epist. 13. cassa jubet esse, atque irrita Episcopi acta Presbyterorum, ac Diaconorum subscriptionibus minime munita: *Mandato*, inquit, *legaliter facto*, *tuis*, *ac Presbyterorum*, *seu Diaconorum subscriptionibus roborato*. Quod perinde est, ac si nullius roboris esse dicatur, si quid contra gestum fuisset.

Ad haec eadem tempora pertinet egregius ille Doctor, Isidorus Catholicae Ecclesiae novissimum decus, in seculorum fine doctissimus, ac cum reverentia nominandus, quod Toletanae Synodi praeconium est. Hic lib. 2. de Officiis Eccl. cap. 7. Presbyteros Episcopis socios dat, ac consortes in Ecclesia procuranda, utrisque praefecturam, utrisque dispensationem concreditam ait: *Presbyteri autem*, inquit, *interpretantur seniores, quia seniores aetate Graeci Presbyteros vocant; his enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Praesunt enim Ecclesiae Christi, & in confectione divina Corporis, & Sanguinis consortes cum Episcopis sunt, similiter in doctrina populorum, & in officio praedicandi. Sed sola propter auctoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio, & consecratio reserva-*

ta

ta est, ut a multis Ecclesiae disciplina vindicata concordiam solveret, scandalum generaret. Nonne tibi videtur audire hic Hieronymum in hujus Doctoris scriptis redivivum? Non merum Presbyterum tamen, sed florentissimae Cathedrae Episcopum, qui nullam dignitati suae injuriam irrogatum iri putat, si paullo inflexa verborum conceptione illud Hieronymianum usurpet: *Quid facit, excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Et supra cap. 5. de Sacerdotibus sermonem habens, ait: *Episcopos latine superintendentes possumus dicere, ut intelligat non se esse Episcopum, qui non prodesse, sed praeesse dilexerit; Episcopatus enim, ut quidam prudentium ait, nomen est operis, non honoris*. Ubi iterum communione nominis operis societatem inter Ordinem utrumque aperte commonstrat. *Unde & Paullus*, subdit, *de ordinatione Episcopi, & Diaconi scribens, de Presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcopi nomine comprehendit. Secundus enim, & pene conjunctus est gradus*. Illud, fateor, duriusculum, Episcopis nempe Ordinationem Clericorum concessam, ne a multis disciplina vindicata concordiam solveret: id, inquam, duriusculum, nisi divina lege hoc jus consecrandi, & ordinandi Episcopis tributum singulariter, benigne interpretemur.

Nunc porro ceteri testes conglobatim producendi. Una nimirum omnium est sententia. Hujusmodi sunt Primasius Adrumetinus in Africa Episcopus Comm. Epist. Paulli, Sedulius Scotus in cap. 2. Epist. ad Titum. Inprimis vero Venerab. Beda, qui homil. de sanctis die S. Lucae sic se habet: *Primis Ecclesiae temporibus, ut Apostolica scriptura testis est, utrosque Presbyteros, utrosque vocatos Episcopos, quorum unum sapientibus maturitatem, alterum industriam Pastoralis curae significat*. Utrique igitur Ordini sicut maturitas, sic & Pastoralis cura respondet. Denique Hincmarus Rhemensis noni Seculi scri-

ptor

ptor doctissimus, & ipse Episcopus recitatis Bedae verbis in Concilio Athiniacensi ad Hincmarum Fratrem & ipsum Laudunensium Episcopum ita scribit cap. 10. *Episcopi in primordiis nascentis Ecclesiae, & usque ad non parvum temporis progressum uno nomine in singulis officiis vocabantur, sicut in Epistola Petri, & in Epistolis Johannis, & in Epistolis Paulli manifestatur, sicut Hieronymus ad Evagrium Presbyterum ex auctoritate Scripturarum ostendit*. Cur, amabo, uno cum Presbyteris nomine censebantur, nisi quia & officiorum communione copulabantur?

Hactenus porro Scriptorum illorum seriem pertexuimus, qui disciplinae aevo suo obtinentis oculati testes fuere. Age nunc & Ecclesiae Concilia percurramus, quae disciplinam eamdem in sacris Scripturis consignatam, & a majoribus acceptam auctoritate sua ne exolesceret, apprime caverunt. Ordiamur ergo ab antiquiore Synodorum illarum, quarum saltem Canones aetatem tulere, & ad nos usque pervenerunt, Illiberitana scilicet habita an. 305. Canones illi conditi sunt Presbyteris sex & viginti praesentibus, ac subscribentibus. *Cum consedissent sancti, & religiosi Episcopi in Ecclesia Eliberitana .... residentibus etiam viginti & sex Presbyteris, adstantibus Diaconis*. Labbè tom. 1. Concil. In Arelatensi Concilio an. 314. coacto Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi promiscue consedere. Nemo vero hic mihi objiciat, in hisce conventibus Presbyteros nulla judicandi potestate praeditos, nec suffragii jus habuisse. Oppositum enim me constanter affirmantem tutantur primo eruditi, inter quos Mendoza, qui sic censet: *Utrorumque subscriptiones indicant decernendi auctoritate olim Presbyteros non caruisse: aliter enim quorsum tot ipsorum subscriptiones?* Tutatur secundo Synodus Laodicena moris antiqui testis locupletissima; ex qua discimus, Presbyteros judicia-

-tiaria poteſtate non caruiſſe; en ejus verba: can. 56. Ὅτι οὐ δεῖ πρεσβυτέρον πρὸ τοῦ εἰσιόδου τοῦ Ἐπισκόπου εἰσιέναι, καὶ καθέζεσθαι τῷ βήματι· ἀλλὰ μετὰ τοῦ Ἐπισκόπου εἰσιέναι, πλὴν εἰ μὴ ἀνωμαλοίη, ἢ ἀποδημῇ ὁ Ἐπίσκοπος. *Non oportet Presbyteros ante Epiſcopi ingreſſum ingredi, & ſedere in Tribunali, ſed cum Epiſcopo ingredi, niſi Epiſcopus affecta ſit valetudine, vel peregre profectus.* Primum illud accurate animadverſum volo, quod ſeſſionem in Tribunali Canon appellat. Quid enim Tribunal, aut cui uſui, niſi juri dicundo, aut juriſdictioni exercendae? Per ſe res clamat, aut ſi ad ejus dictionis vim aſſequendam teſtimonia requiras, ecce in promtu Joh. locus XIX. 13. Καὶ ἐκάθισεν ὁ Πιλάτος ἐπὶ τὸ βῆμα. *Sedit Pilatus pro Tribunali.* Ecce & aliud ex Ariſtophane in Pluto: ἐπὶ τοῦ Βήματος καθέζεσθαι: *pro Tribunali ſedere.* Alterum, quod notatu opus eſt, Epiſcopo, aeque ac Presbytero licere pro Tribunali ſedere. At Epiſcopo id licitum, quod juriſdictione polleret. Eadem ergo de cauſa & Presbytero licebat. Tertium ſolis Presbyteris adhuc id juris fuiſſe, ſed Epiſcopo vel abſente, vel aegrotante. Qua quaeſo de cauſſa, niſi quia tunc temporis integra haec facultas in Presbyterium convertebatur? Ignorabat nimirum antiquitas alium quempiam, qui vices Epiſcopi, vel aegroti gereret, vel abſentis, niſi totum ſimul Presbyterium, quod & alibi etiam monere operae pretium putabo.

Venio ad Nicaenum Concilium, maximum illum ſanctiſſimumque totius Chriſtiani Orbis Conventum, ſumma ſemper veneratione, & obſequio ab Eccleſia cultum, & exceptum. Et poſſent quidem ſuſceptae cauſſae patrocinari hujus Concilii Canones 4. 15. 18. vetantes Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos mulieres ullas, praeter propinquas, & quidem proximas, in contubernio habere, ne illorum exiſtimationi vel ſuſpicionis macula quaepiam illineretur.

tur. Item 12. interdicens, Episcopos, Presbyteros, Diaconos ex una in aliam Ecclesiam commigrare. Canon itidem 13. Diaconorum insolentiam adversus Presbyteros comprimens, quod ipsi non sint, nisi Episcoporum Ministri, ac Presbyteris inferiores. Hi enim Canones tanti Thomassino videntur de Benef. lib. 3. part. 1. cap. 7. ut inde concludat: *Superiorem hunc Clerum fuisse Episcopo conjunctum, reliquo Clero, & Populo praeeminens, imperitansque.* Sed disertius aliquid, luculentiusque pro Presbyterorum jurisdictione desiderari video; quod certe nobis suppeditat Nicaena ipsa Synodus, cum ratum esse jussit Alexandrini Concilii judicium, quo cum Episcopis quibusdam plures Presbyteri convenerant, atque Arium haereseos convictum Presbyteratu deturbarunt. Qua de re sic loquitur Epiph. haeres. 69. *Alexander Arium ad se vocans, & quid ita se res haberet, interrogat: tum ille nihil tergiversatus, aut cunctatus statim frontem perfricans pravam omnem suam opinionem evomuit .... Quamobrem Alexander habito Presbyterorum, & quorumdam, qui aderant, Episcoporum conventu de eo quaestionem habet, ac diligenter examinat; tum veritati cedere detrectantem ejicit ex Ecclesia, ac tota civitate proscribit.* Tria hinc Presbyterio honorificentissima colligimus. Primum in gravissima fidei quaestione cum Episcopis Presbyteri sententiam ferunt. Alterum in refractarium Presbyterum non Episcopus solus, sed totum Presbyterium anathematis, ac proscriptionis poena animadvertunt. Tertium judicium hoc, quo nihil momentosius, Magna Nicaena Synodus confirmat, non profecto confirmatura, si Presbyteri Judices fuissent illegitimi. Eadem porro ratione se gessit Chalcedonense Concilium. Quemadmodum enim Nicaenum Alexandrinae Synodi acta confirmavit: ita plane Chalcedonense sanxit auctoritate sua acta Synodi Constantinopolitanae adversus Eutychetem Pre-

Presbyterum, atque Archimandritam, quibus contra Haereticum praeter Episcopos unum, & triginta, Presbyteri etiam viginti tres subscripsere. Agnovit ergo Concilium legitimum judicium, ubi Presbyteri judices sedent, atque jus dicunt. Sed de hoc aliquid aliud inferius.

Opportune autem ex Epiphanio didicimus, qua ratione se se gereret Episcopus, cum aliquis e Presbyterorum coetu poena aliqua graviori foret afficiendus; numquam nimirum sibi soli judicium vindicasse Episcopum secluso Presbyterii consortio. Hinc enim lux affulgebit Canoni Antiocheno 4. cujus auctoritatem cum possem defugere, quod a Julio PP. I. Athanasio, ac Chrysostomo Canones hi rejecti fuerint, atque explosi, utpote minus justi Concilii, nolui tamen, propterea quod in Codicem, quo Concilii Chalcedonensis tempore utebatur Ecclesia, relati fuerint, & accepta quae iis sancita fuit disciplina. En Canonem: *Si quis Episcopus a Synodo depositus, vel Presbyter, aut Diaconus a proprio Episcopo, ausus fuerit aliquid de ministerio agere, sive Episcopus secundum praecedentem consuetudinem, sive Presbyter, sive Diaconus, nullam amplius in alia Synodo spem restitutionis, neque defensionis locum ei habere liceat; sed & omnes ei communicantes ab Ecclesia abjiciantur, & maxime, si postquam cognoverint sententiam adversus praedictos fuisse prolatam, ei communicare ausi fuerint.* Commentemur aliquid in hunc Canonem. Habemus hic Presbyterum, aut Diaconum a proprio certe Episcopo deponi solitario ne, an Presbyterii damnantis corona stipatum? Ita sane, quod patere ajo, tum ex sententia contra Arium ab Episcopo una cum Presbyterio pronuntiata; tum (quod hoc Canone tacite subindicatur) quia Episcopus non a solo Metropolitano, sed a Synodo deponendus statuitur; Synodo certe totius Provinciae. Presbyter ergo deponebatur in Synodo to-

totius Paroeciae, ideſt toto Presbyterio judicante. Presbytero porro, aut Diacono ſic ab Epiſcopo, ac Presbyterio depoſito, ſi ſententiae paruiſſet, miniſterioque abſtinuiſſet, perfugium patebat ad Provincialem Synodum, eique ſpes ſupererat, fore, ut in priſtinam dignitatem reſtitueretur: rebelli, ac contumaci ſpes omnis intercludebatur.

Senſus autem hic, ad quem quartum Canonem deflexímus, illuſtrior fiet ex ejuſdem Synodi Can. 3. quo ſtatuitur, Clericum, qui propria deſerta Paroecia (ſcilicet Dioeceſi) in aliam commigraverit eo conſilio, ut multo ibi tempore immorari pertendat, miniſterio abdicandum ſuo, maxime ſi Epiſcopo ſuo reverſionem imperanti immorigerum ſe ſe praebuerit. Quod ſi in perverſitate perduret, depoſitionis poena mulctetur. Quae poena non ab proprio Epiſcopo, ſed a Synodo irrogetur; nam & a Synodo coërcendus praecipitur alter forte Epiſcopus, qui ſic depoſitum intra ſuam Paroeciam ſuſceperit, ac miniſtrare permiſerit: *Si autem eum*, verba ſunt Synodi, *qui propter hanc cauſſam depoſitus eſt, alius Epiſcopus ſuſceperit, ille quoque a communi Synodo coërceatur, ut qui Eccleſiaſtica ſtatuta diſſolvat.* Quid enim, quaeſo, ſonat illa copulativa *quoque*, niſi ſuſcipientem Epiſcopum ejuſdem Synodi coërcitioni fore obnoxium, quae in contumacem Clericum depoſitionis ſententiam pronunciaverat. Et id quidem optimo, ſaluberrimoque conſilio factum, ut non unius arbitratui, quem ſaepe in errorem labi contingit, ſed plurimorum ſententiis ſacrorum Miniſtrorum fama, honor, ac dignitas permitteretur. Hoc namque & civili etiam poteſtati familiare eſt, ut penes plurium Judicum Collegia juris dicundi facultatem deponat, quos ad unum falli certe difficilius eſt.

Neque in hunc, quem retulimus, Canonem impingit ejuſdem Concilii nonus in hunc modum prae-

 ci-

cipiens: *Unumquemque Episcopum potestatem habere suae Paroeciae, eamque administrare pro suo studio, ac religione, & curam gerere totius regionis, quae suae urbi subest.* Sed numne potestatem hanc regendi abrogamus, si ad Episcopi curam, ac sollicitudinem, etiam Synodi, ac Presbyterii accesserit sollicitudo, ac cura? Quemadmodum enim idem Canon edicens, ut Metropolita totius Provinciae curam gerat, nihil Episcoporum singulorum curae vult imminutum; sic totius Paroeciae Episcopo sollicitudine imposita, Presbyterium eadem sollicitudine minime arcet: eo vel maxime, quod eodem Canone Metropolitae ipsi interdictum sit quidpiam gravioris momenti sine provincialium Episcoporum sententia moliri, ut inde colligamus ex illius temporis disciplina & Episcopis singulis vetitum fuisse momentosi aliquid secluso Presbyterii consortio aggredi. Agnoscit quippe Synodus, Majores Clericos una cum Episcopo Ecclesiae praeesse can. 1. *Si quis autem eorum, qui praesunt Ecclesiae, Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus post hanc definitionem ausus fuerit &c.*

Ad Nicaenum modo revertamur, atque aliquid aliud adhuc luculentius pro re nostra mutuemur. Et quidem in hoc Magno Concilio Presbyteros cum Episcopis sedisse, judicasse, subscripsisse conjectura primum assequi posse videmur ex Eusebii testimonio, qui ipse praesens Concilio aderat, asserentis Episcopos, qui Synodo interfuere, ad ducentos quinquaginta fuisse. Si porro verum est, quod communis fert opinio, Concilii Patres fuisse octodecim, ac trecentos, omnino ad hunc implendum numerum Presbyteris octo, ac sexaginta indigemus. Sed postmodum conjectura locum fecit evidentiae, ubi in Aquilejense Concilium an. 381. incidi. Ibi Palladius, ac Secundianus Episcopi, & Attalus Presbyter damnati sunt Arianae haereseos nomine. Interea

ea Attalo Presbytero exprobrat D. Ambrosius, quod Arianae doctrinae faveret, & id, postquam Nicenae Fidei subscripsisset. Factum non audet negare Attalus, sed responsurum se negat: *subscripsisti*, ait Ambrosius, *in Tractatu Nicaeni Concilii, annon? Non tibi respondeo*, ait. Ex Episcopis unus, se Attalum subscribentem vidisse testatur: *Sabinus Episcopus dixit: testes sumus nos, Attalum subscripsisse in Conc. Nicaeno*. Hic igitur Presbyter erat, subscripserat, non post temporis intervallum, sed *in tractatu Nicaeni Concilii*. Subscripserat nomine proprio: *sub Episcopo suo Agrippino*. Quid ergo amplius desideratur, ut appareat, hunc Attalum Concilii Nic. Patrem exstitisse?

His igitur ita constitutis mirum non videbitur, si Sardicense Concilium, can. 13. Apostoli vestigiis insistens vetat, Neophytos summas Ecclesiae Dignitates, Episcopatum nempe, Presbyteratum, ac Diaconatum invadere, hoc est, ait Thomass. cit. loc. *ad Clerum illum irrepere, qui summus, qui princeps est, qui regendae Ecclesiae aptus natus est; cum regendo ineptus maxime sit, qui gubernaculo & ipse indiget*. Hac mente Valentinum Concilium depositionis poena in Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos animadvertit, qui de crimine quopiam in Ordinatione convicti fuerant; vel illud praepostero humilitatis studio confessi, cum fama periclitante, aut convulnerata, Ecclesiae gubernandae vel inutiles, vel perniciosi evasissent.

Sed nullibi haec nostra magis exsultat disputatio, nullibi firmius caussae nostrae praesidium collocatum est, nullibi disertius sese sapientissima haec prodit disciplina, quam in Africanis Conciliis. Magni nimirum Cypriani magisterio imbuti Patres illi, immo potius sacrarum Litterarum testimoniis convicti in plurimorum consensione veritatem, sapientiam, praesentissimum Dei auxilium, rerumque omnium

 sum-

summam positam esse, irritum esse statuerunt, quidquid neglecto Cleri consilio, praesentia, consensu gestum umquam fuisset. Auream hanc constitutionem debemus Patribus Concilii Carthaginensis IV. can. 23. *Ut Episcopus*, ajunt, *nullius caussam audiat absque praesentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum praesentia confirmetur*. His consona omnino habet can. 21. *Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*. Sunt nimirum Presbyteri Episcoporum Collegae in ministerio, ac propterea can. 34. statuitur: *Ut Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur*. Et can. 35. *Ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum superior sedeat, intra domum vero collegam se Presbyterorum esse cognoscat*. Insanirem profecto, si commentando clarissimis hisce verbis lucis aliquid adspergere studerem. Illud certe non praetermittam, cordi fuisse Ecclesiae, ut utrumque Ordinem arctissimo caritatis vinculo invicem agglutinaret, & Presbyteros quidem vellet honoris delatione Episcopos occupare, & Episcopos cum iis obsequio certare.

His ita statutis, eccui mirum poterit esse, si Presbyteri Conciliis intersunt, consultant, deliberant, suffragium ferunt, subscribunt? Id modo magnae Nicaenae Synodi exemplo evicimus. Paullo superius Ephesini Concilii verba audivimus, Presbyteros Concilii membra appellantis. Aliquid etiam, quoniam hic sumus, ex Chalcedonensi promamus. Sunt haec nimirum sacratiora Ecclesiae Concilia. In hoc igitur Concilio Presbyteri ipsi deliberabant: *Theophilus Reverendissimus Presbyter .. dixit: Omnes Reverendissimi Clerici Constantinopolitanae Ecclesiae dixerunt .... Cassianus Presbyter, qui fuit cum Bassiano dixit .... Reverendissimi Episcopi, & Clerici Constantinopolitani clamaverunt, Philippus Reverendissimus Presbyter dixit*. Concil. Chalced. pag. 521. Adhuc clarius Presby-

sbyteros definivisse patet. Lecta nempe Eutychetis confessione, continuo reclamatum est, quod ea Nicaenae Fidei vel adderet, vel detraheret, hinc: *Aegyptii, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi,.. Orientales, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Adjectionem nullus suscipit*. Quinam sunt, amabo, isti Aegyptii, Orientales isti cum Episcopis conclamantes, nisi eorum collegae Presbyteri? Quamobrem recte concludit doctissimus Gussanvillaeus Op. Greg. tom. 2. *In Chalcedonensi Concilio Presbyteros quasi judices sedisse, pauci sunt, qui ignorant; sed injuria factum caussantur, quasi vero in Conciliis Apostolorum Seniores non sederint, aut sederint muti*.

Immensi vero esset laboris Synodis omnibus hic prolatis rem persequi. Nonnulla ergo satis sit veluti coronidis loco ex Ecclesia Principe monumenta producere, ut recta inde consecutione, id & in aliis Ecclesiis factitatum colligamus, cum hoc institutum ab ea Cathedra non abhorrere intelligimus, quam occupat ille, cui cum omnium Ecclesiarum sollicitudine amplissimam potestatem ac jurisdictionem divinitus traditam non dubitatur. Jovinianum ejusque exitialia deliramenta cum vellet proscribere Syricius Papa, Presbyterio coacto, impium hominem damnavit. *Facto ergo Presbyterio constitit Christianae legi esse contraria .... Omnium nostrum tam Presbyterorum, quam Diaconorum, quam etiam totius Cleri una suscitata fuit sententia*. Hanc damnationem, uti par erat, ratam habuit Ambrosius, qui ad Syricium in haec verba rescripsit: *Quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos*. Quam magnifice vero Presbyteri, ac Diaconi Apostolicum Thronum regere dicuntur a Felice PP. epist. 4. qui exauctorato Pseudo-patriarcha Petro Gnaphaeo Alexandrino; *firma sit*, inquit, *haec tua depositio a me, & ab his,*

bis, qui una mecum Apostolicum Thronum regunt. Quam recte idem Pontifex epist. 7. Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos Ecclesiae summa fastigia nuncupat: *Ut ergo ab Ecclesiae summitatibus inchoëmus, quos Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit &c.* Et bene summitates Ecclesiae, quod scilicet una cum supremo Hierarcha in Apostolico Throno considéant. Depositionis itidem poena in Anastasium Card. a Leone IV. inflicta est ex Rom. Concilii sententia: *In Synodo Anastasius Presbyter Card. ab omnibus Canonice est depositus, eo quod Parochiam suam*, &c. Cap. ex gestis de Cler. non residentibus. Mira vis in illis verbis sentitur: *ab omnibus canonice est depositus*; perinde ac si Canonicum non foret, quod non ab omnibus esset decretum. Actum est in Romana Synodo sub Hilaro Papa de transferendo Hispano Episcopo de una ad Sedem alteram: praeter Pontificem, & Episcopos Presbyteri interfuere, ac Diaconi Rom. Ecclesiae, illi considentes, hi stantes: *Residentibus etiam universis Presbyteris, adstantibus quoque Diaconibus*. Nec vero praesentia sola, sed & consilio, ac suffragio adstrisse certo certius constat, cum Apostolicum Thronum regere modo a Felice acceperimus. Acclamationes autem, ac plausus tam frequenter in sequioris aevi Conciliis usurpatae, jam tum invaluerant: *Ab universis Episcopis, & Presbyteris acclamatum est, ut disciplina servetur, ut Canones custodiantur, rogamus. Hilaro vita &c.* Concilio Rom. III. sub Felice Papa III. Presbyteri omnes Romani subscribunt; quod ad Diaconos non videtur pertinere; dicitur enim: *astantibus quoque Diaconibus*. Idipsum legas in Synodo II. Romana sub Gelasio, plaudunt similiter, & acclamant Presbyteri, ac Diaconi. Cum Martinus hujus nominis primus in Monothelitas anathematis mucrone vellet animadvertere, ad Concilium Presbyteros, Diaconos, ac

Cle-

Clerum universum accivit: *Sedentibus Episcopis, & Presbyteris, adstantibus Diaconibus, & Clero universo*. Sedent ergo cum Episcopis Presbyteri, quod judicum singularis est praerogativa. Adstant cum Clero inferiori Diaconi. Subscribunt iidem Presbyteri in Synodo Rom. sub Gregorio II. & post hos Diaconi. Sed nullo alio in loco Rom. Presbyterii vigor se se exseruit, ac constantia plane singularis, nisi cum timor incessit, ne labasceret Eugenius I. Monothelitarum insidiis circumventus, ac de Decessorum suorum infracta constantia remitteret. Tum enim, annuente etiam plebe, vi pene illata adversus Pontificem depugnavit, neque eum prius sacra facere passus est, quam polliceretur, se se epistolam Petri Patriarchae Constantinopolitani planè rejecturum: *Et accensus Populus, & Clerus*, ait Anastasius Bibliothecarius, *eo quod talem Synodicam direxisset; minime est suscepta, sed majori strepitu est a sancta Dei Ecclesia rejecta: ita etiam, ut nec eumdem Papam dimitteret Populus, & Clerus Missas celebrare, nisi promisisset Pontifex minime eam aliquando suscipere*. Videsis in hocce Presbyterio Paullum quodammodo in Cephae faciem resistentem. Quis porro dubitet, num disciplina, quae tam religiose Romae servabatur, in aliis perinde Ecclesiis vigeret? Illud certe discriminis inter Ecclesias hasce intererat, quod cum Romana Ecclesia & Metropolitico jure polleret, & Patriarchali, ac toti Christiano Orbi sollicitudinis plenitudine praeesset; ad illam & ex Provincia, & ex Dioecesi, immo & ab universis Christianis Ecclesiis caussae discutiendae, ac dirimendae referebantur. Id vero fiebat in concistorio consueto, in illius Ecclesiae senatu, in Presbyterio Rom. Pontifice praesidente. Quod idem ad simplices sive Metropoles, sive Dioeceses aptandum est; ut nimirum illarum Urbium Presbyterium ordinarium esset Tribunal quaestionibus ex Provincia perlatis, aut ex

ex Dioecesi, finiendis. Episcopalium vero urbium Presbyterium de tota, ac singulari Paroecia, cum Episcopo judicabat.

Sed ut Roma in regiones Christiani Orbis alias excurramus, Gallicanae Ecclesiae omni tempore & pietate, & sapientia florentissimae Synodos aliquot excutiamus, ut assertae veritati honor suus constet. Opportune nobis occurrit Turonense Concilium habitum medio fere VI. Seculo: sic habet de remotione Abbatum, vel Archipresbyterorum sine Cleri consilio non tentanda: *Ut Episcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum sine omnium suorum Compresbyterorum, & Abbatum consilio de loco praesumat ejicere: neque per praemia alium ordinare, nisi facto Concilio tam Abbatum, quam Presbyterorum suorum: quem culpa, aut negligentia ejicit, cum omnium Presbyterorum Concilio refutetur*. Eadem ubique recurrit disciplina; sed hic nimis arctis limitibus Episcopi circumscribitur potestas, cum sine Presbyterio nihil moliri permittitur, nihil tentare; ac si quid minus recte gestum fuerit, communi Presbyterorum sententia rescindi. Nonne vides hic aggeribus quibusdam Episcopale arbitrium circumsepiri, ne pro ingenio suo, sive jure, sive injuria, quo libuerit, multorum cum offensione, ac detrimento excurrat. Sane fatendum est mirificam plane hujus Concilii Patribus Presbyterii opinionem insedisse; nam can. 2. decernunt, *ut si quid quaestionis, aut jurgii inter ipsos Episcopos forte exoriatur, electis ex parte utraque Presbyteris conciliatoribus consopiatur*.

Concilio Parisiensi IV. anni scilicet 573. in quo de Promoto actum est, quem Aegidius Rhemensis Episcopus contra Canones ad Episcopatum temere provexerat, praeter Episcopos Launovaeus Presbyter interfuit, suffragiumque tulit. Synodum habuit S. Aunucharius Antisiodorensis Episcopus an. 578., ibique ad instaurandam suae Ecclesiae disciplinam

quin-

quinque, ac quadraginta conditi sunt Canones. Synodo unus Aunucharius Episcopus aderat, Abbates sex, Presbyteri tres ac triginta, ac tres Diaconi suffragii jure potiti. Quid quod Episcoporum ipsorum negotia Presbyteris etiam judicantibus definita reperiuntur? Id patet exemplo Sapharaci Episcopi Parisiensis, cujus caussa composita fuit an. 555. praesentibus Sanctis, ac Venerabilibus viris Episcopis Medovecho, Leubeno, Leubachario Abbate, Hiculpho Presbytero, Aeterno Archidiacono, ac Castricio Diacono. Vernense Concilium an. 757. celebratum can. 4. ad Synodum una cum Episcopis Abbates, ac Presbyteros convenire jubet: *Et illi Episcopi ibidem conveniant, quos modo vice Metropolitanorum constituimus: Et alii Episcopi, vel Abbates, sive Presbyteri, quos ipsi Metropolitani ad se venire jusserint. Ibidem in ipsa secunda Synodo convenire faciant*. Concilio Bracharensi I. in Hispaniis cum Presbyteris, & Provinciae Episcopis Clerus adfuit universus: *Considentibus simul Episcopis, praesentibus quoque Presbyteris, adstantibusque Ministris, & universo Clero*. Verum ut confusioni ex multitudine iretur obviam, Concilium IV. Toletanum cavit, ut selecti tantum ex Presbyteris afforent, ac Diaconis: *Vocentur Presbyteri, quos caussa probaverit introire. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse*. In Conciliis enim Oecumenicis repraesentatio quaedam elucet Ecclesiae universae, & in Capitulis particularis cujusque Ecclesiae repraesentatio est. Utrobique & in universali, & in particulari qualibet Ecclesia, in Conciliis & in Capitulis praesident, ac praefulgent Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.

Sed quanti demum censebimus peculiaribus Synodis interfuisse Presbyteros, quando ipsa Oecumenica Concilia tanti eos fecere, ut honestissimo in consessu suo eos excipere non respuerint, sive disputando

opus

opus esset ad veritatem illustrandam, & heterodoxos revincendos, sive subscribere necesse fuerit, ac sententiam dicere, sive absentium vices Episcoporum gerere, sive demum primae Cathedrae partes sustinere? Exemplis hac in parte abstinemus, quod res sit & illis perspecta, qui Canonica monumenta vel primoribus labiis delibarunt, & satis superius hac de re actum fuerit, ac prolato Ephesini potissimum Concilii testimonio demonstratum sit, eam Synodum ad Constantinopolitanum Presbyterium litteras dantem honorificentissimo viros illos Compresbyterorum, ac Condiaconorum nomine compellatos de Nestoriana exauctoratione certiores fecisse: tum porro dedisse in mandatis, uti ad electionem usque novi Patriarchae Ecclesiae rebus advigilarent, curarentque diligenter pro suo munere, quae Pastoralem sollicitudinem spectarent.

Id enimvero maximi ponderis est, quod non solum deposito, sed & absente, vel vita functo Episcopo in ejus partes, & munera omnia Presbyterium ipso jure vocabatur. Et quidem quoties morte interceptus esset Episcopus, antiquitus, immo ab Ecclesiae exordio, id ita obtinebat, & ad haec usque tempora obtinet adhuc: res est expedita, nullique obnoxia disputationi. Sed absente illo, vel impedito, aliter olim, ac nunc res se habebat. Nimirum ignota erat ea aetate Vicariorum suffectio: solidum quippe Presbyterium in Episcopalia succedebat jura; nec immerito, nam quae conjunctim expediri oportet, altero deficiente, in alterum consolidantur. Absens Cyprianus haec ad Presbyteros, ac Diaconos suos scribit: *Officium meum vestra diligentia praesentet, & faciat omnia, quae fieri oportet*, Epist. 6. lib. 3. Et alibi: *Hortor, & mando, ut vos vice mea fungamini circa ea gerenda, quae administratio religiosa deposcit*. Testatur Hilarius in eo, quem Constantio obtulit, libel-

bello; exulem sese per Presbyteros suos interim Ecclesiae suae consuluisse: *Licet in exilio permanens, & Ecclesiae adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens*. Quo tempore, quave de caussa disciplina haec exoleverit, non est hujus loci disquirere.

Atque hic, etiam me tacente, animadversio illa cuivis legenti incurret; exquisitissima nimirum diligentia, & accuratione maxima dignissimos aetatis istius Praesules operam dedisse, ut nonnisi probatissimi homines tum morum sanctimonia, tum doctrina, inprimis Ecclesiastica, in Presbyterium adlegerentur. Cum nempe non solum indivisa secum consortione res Ecclesiae, ac saepenumero maximas gesturi essent, sed solitarie etiam absente, vel sublato Antistite Ecclesiae statum procuraturi essent; satis intelligebant, sibi pro viribus adnitendum, ut hujusmodi promoverentur, quibus haec omnia bene, feliciterque cessura spes foret non indubia. Adlectos autem sic informabant, ut paullatim idonei forent Episcopali sarcinae sustinendae. Videbatur tunc quidem Presbyterium, si ita loqui fas est, veluti ludus quidam, ubi Ecclesiastici homines ad Pastorale exercebantur officium, cum praesertim ex illo, veluti ex Trojano equo, Episcopi ipsi saepissime prodituri essent.

Seminarium ergo Episcoporum dici poterat hoc vetus Presbyterium, non memorata solum de caussa, quod nempe ut plurimum ex hoc Collegio seligerentur ad Episcopale fastigium provehendi; qua de re Episcopum Calaritanum monebat Gregorius lib. 11. epist. 49. ut sic ad alias Ecclesias Presbyteros suos dimitteret: uti suae etiam vellet consultum, ne nimis exhauriretur: *Sic tamen, ut non omnes ad Episcopatum de Ecclesia ipsius deligantur. Nam sic convenit eum alios ordinare, ut Ecclesiae suae de personis, quae in ea possint proficere,*

cere, *necessitatem non faciat*: sed etiam, quod Episcopi non pauci in amplissimam istam societatem referrentur. Id accidebat primo, si ipsis ad Civitates illas, quibus praefecti erant, accessus non pateret, aut pacifica commoratio. Sic Ancyrana Synodus Can. 19. hosce Episcopos in illud Presbyterorum Collegium regredi jubet, unde ad Episcopatum fuerant aciti, Episcopali honore, & ornamentis fruituros, modo Episcopo Dioecesano subesse non detrectarent, ne Ecclesiastica unitas discinderetur. Pari ratione statuit Nicaenum I. Can. 8. ut Episcopi, qui ejurato Novati Schismate, ad Catholicam unitatem se conferrent, Episcopatu, quo proturbati erant, iterum potirentur. Quod si alius interea Catholicus Episcopus ad illam Cathedram forte evectus esset; tum contenti essent inter. Presbyteros ejusdem Ecclesiae accenseri; esset vero in potestate Episcopi Episcopalia illis insignia utenda permittere. In eamdem sententiam constituit Antiochena Synodus Can. 18. ut honore, functionibusque in Presbyterio dignarentur, τιμης, και λειτουργιας, si qui forte quacumque de caussa insuperabili aut Urbes Episcopales adire, aut ibi ministerio fungi prohiberentur.

Contingebat idipsum secundo demissionis caussa, ac modestiae plane singularis. Nonnulli enim eximiae virtutis viri inviti fere, ac reluctantes ad Episcopatum adigebantur. Et non pauci quidem vel precibus, vel suasionibus permovebantur, ut Ecclesiae gubernacula susciperent, & Episcopali sarcinae collum supponerent. Alii contra inflexo & indomabili animo renitebantur; nec ullo modo molliri poterant, ut onus impositum subirent. Cum his postremis hac ratione agendum existimabatur; ut nomine, honore, ac functionibus Episcopalibus retentis in Presbyterorum Collegio vitam degerent. Istiusmodi Eustathius fuit Pamphyliae Metropolita; de

quo

quo ita cavit Ephesina Synodus Act. 7. *Sed quia adversus ejus animum a rebus gerendis alienum non admodum decertari oportuit , sed misereri potius senem . . . . justum , rectumque definimus , ut nomen retineat Episcopi , & honorem , & communionem :* το' της επισκοπης ονομα , και την τιμην , και κοινωνιαν. Illud ipsi interdicitur , ut sine Episcopi Dioecesani venia aut ordinet , aut rem divinam faciat propria auctoritate : μη χειροτονειν , μη ιερουργειν .

His porro rationibus fiebat , ut Episcopi nonnulli inter Presbyteros agerent , quos inter in ipsos quoque Episcopalis amplitudinis ac potestatis pars non modica refundebatur . Non enim ad hanc classem referre oportet criminosos illos , qui Episcopatu dejecti omnis honoris exortes habebantur ; nam nec inter Presbyteros locum obtinere patiebantur Ecclesiae Canones . Quapropter cum Eustathius Beritensis Episcopus in Presbyterorum ordinem redegisset eos , quos Episcopatu depulerat , antea a Photio Tyri Metropolita ordinatos , obstitit Synodus Chalcedonensis adnitentibus Pontificiis Legatis ; judiciumque rescissum est , utpote Presbyterii sanctitati contumeliosum , & Ecclesiae legibus repugnans ; idque ιεροσυλιας sacrilegii loco meritissime habitum est , cum sine gravissima ordinis sanctissimi violatione committi non posset , ut quibus Episcopales functiones in criminis poenam interdictae essent , iis Presbyterales permitterentur . In hanc ergo sententiam canon hic cusus est : *Episcopum in Presbyteri gradum deducere sacrilegium est .*

PARS

PARS ALTERA

Jura Presbyterii in Collegia Canonicorum transfusa.

PResbyteri, de quibus hactenus disseruimus, non consilio solum, sed & opera, ac labore Episcopis praesto erant. Ignota quippe hisce seculis desidiosa vita, & otio serviens. In Coenobiis certe virtutum exercitationi, ac contemplationi locus erat. In Clero perfectionis statu actio contemplationi conjuncta & propriae, & aliorum saluti consulebat. Non Beneficiis animarum cura adnexa, sed Ordini, aut Ordini simul, ac Beneficiis, cum indivulsus esset iis temporibus a Beneficiis Ordo. Attondebatur, & ordinabatur prorsus nemo, cui non statim sacrae quaedam functiones adsignarentur, indiceretur que Ecclesia, ubi munus obiret aliquod spirituale, ex quo & temporale demeteret stipendium. Ita praeclare rem totam paucis complexus est Thomass. De Benef. part. 2. lib. 1. cap. 33. Hinc Presbyteri Parochorum partes explebant ad unum omnes, sive in eadem cum Episcopo Ecclesia, sive in diversis Paroeciis, ubi essent illae a Cathedrali divulsae. Num cum in satis multam excrevisset multitudinem Fidelium Populus non in pagis modo, sed & in amplioribus urbibus, ut Romae, plures excitatae sunt Paroeciales Ecclesiae, ubi sacrae Synaxes ab uno Presbytero, quem Parochum postera appellavit aetas, habebantur: eique Presbytero regionis illius cura concredita est. Hujus instituti prima origo, ac tempus plane non constat. Sunt qui referant ad medium III. Seculum sedente Romae Dionysio Pontifice. Illud certe affirmari potest, longe ante Seculum IV. morem hunc ubique receptum, uti colligere est ex Athanasio Apol. 2. Hieronymo lib. contra Luciferianos, Innoc. epist. ad

ad Decentium, ex Concilio Neocaesariens. an. 313. prohibente, ne Rurales Presbyteri sacrificium offerrent in Urbe praesentibus Urbanis Presbyteris: *Presbyteri ruris in Ecclesia Civitatis Episcopo praesente, vel Presbyteris Urbis ipsius offerre non possunt . . . . si vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.* Denique ex Sardicensi Synodo statuente can. 13. ut si Episcopus diutius ruri ageret negotiorum caussa Dominica die Parochiali Missae interesit: *Si est proxima civitas, in qua est Presbyter, ne sine caussa videatur facere diem Dominicum, illuc accedat.*

Diaconi similiter per duodecim saltem Ecclesiae Secula Ordinem a Beneficio indivisum accipiebant, spiritualem nempe potestatem adnexam juri ad annonam temporalem; ideoque certae semper Ecclesiae illigabatur, quisquis creabatur Diaconus. Nam quemadmodum ubi audieris Episcopum, non sacrum quemdam Ordinem solum, spiritualemque potestatem concipis, sed & gubernandae Dioeceseos munus, fruendaque & utenda, quae sunt muneri conjuncta bona temporalia: ita apud SS. Patres, Concilia, receptumque totius Ecclesiae usum, per annos saltem mille, ac ducentos, Presbyteri nomen, ac Diaconi, tum sacrum Ordinem caelestemque, quo in Ordinatione insigniti sunt, characterem, tum spiritualem designat potestatem in Christi Fideles; ac jus ad rem temporalem, quae sustentationis loco cedat. Utque nemo nunc Episcoporum in Ordinem adsciscitur sine Ecclesiae cura spirituali, ac temporali; ita ab ipsis Ecclesiae incunabulis nemo poterat ad Presbyteri, aut Diaconi evehi dignitatem sine spirituali in certa Ecclesia munere, conjunctaque ei temporali re, & annona.

Hi omnes sive Presbyteri, sive Diaconi ita suis Ecclesiis, sive Titulis, veluti quidam cardines erant affixi, ut vere Cardinalium nomenclaturam tulerint.

Quod

Quod sane Cardinalium nomen, non modicae illud quidem antiquitatis (nam & Augustini aevo Petilianus Donatista conquerebatur uni Ecclesiae alios superinductos Episcopos a Catholicis praeter Cardinales, & authenticos, & Gelasius I. apud Gratianum Dist. 14. cap. 4. Cardinalem Episcopum Visitatori opponit; id quod Gregorio Magno usitatissimum est) quod, inquam, nomen iis a prima usque origine ad haec nostra tempora in Ecclesia saltem Romana, ac in pluribus aliis perpetuo adhaesit. Et quidem praeter Episcopalem tria alia aedium sacrarum genera in amplioribus urbibus erant; quarum aliae Tituli, aliae Diaconiae, aliae demum Oratoria appellabantur. Oratoria dicebantur illa, quae non modo Baptisterio destituta erant, sed in quibus Sacrum publice fieri minime fas erat. Testem do Gregorium ipsum paullo ante laudatum, qui Castorio Episcopo Ariminensi Oratorii cujusdam consecrandi potestatem facit, *absque Missis publicis; ita ut nec Baptisterium construatur, nec Presbyterum ibi constituat Cardinalem*. Lib. X. ep. 12. Erant & Diaconiae, & quidem in singulis Urbis regionibus, Domus nimirum Hospitales accipiendis, & alendis viduis, pupillis, egenis, omnique subsidiorum genere fovendis. Hisce singulis singuli praeerant Diaconi Regionarii, qui ab ipsa sua institutione his curandis personis praefecti fuerant. Illis autem Xenodochiis non procul aberant sacrae Aedes, & ipsae Diaconiae appellatae. Adhuc aetate nostra Neapoli harum superesse vestigia testatur Mazochius in immortali Opere suo de Ecclesia Neapolitana semper una. Super has autem eminebant Ecclesiae Titulares, sive Tituli, maximae post Cathedralem dignitatis, plures, paucioresve pro Urbium majori, vel minori amplitudine. His praeerant Presbyteri Titulares, sive Cardinales memorati. Hi porro Presbyteri sive Cathedrali, sive Titulis affixi, ac veluti

ti cardinati una cum regionariis Diaconis unum cum Episcopo conflabant Presbyterium illud, de quo tam multa huc usque deduximus: id quod cum ubique terrarum in desuetudinem abierit, Romae adhuc obtinet; nam amplissimus Cardinalium coetus, quem Rom. Pontificis Presbyterium rectissime dixeris, hisce titularibus Presbyteris, ac Diaconis unice constat; nam Episcopos Cardinales Suffraganeorum loco habendos esse nemo unus ignorat.

His porro memoratis Ecclesiae Ministris vetus constantibus Presbyterium *Canonicorum* nomen aptissime congruit; si primigenium vocis etymon prae oculis habere velimus. Nam origine a militia sumta Canon Matriculam sonat, sive Album, in quod referebantur Clerici, ut officio Ecclesiae praestito in stipendiorum partem venirent. Hinc & Collegialibus Ecclesiis, vel agrestibus Paroeciis Clerici affixi Canonici audiebant. Immo & Clericos ipsos minores Canonicos appellavit antiquitas. Laodicenum certe Can. 15. Canonicos Psaltes memorat: *non licet praeter Canonicos Psaltes quemlibet in Ecclesia canere*. Qui contra Presbyteri Magnatum Oratoriis serviebant, ac qui proinde ab iis sustentabantur, hoc nomine minime censebantur. Sed non ista nos notione Canonicorum vocabulum accipimus, cum veteris Presbyterii jura in Canonicorum Collegia transfusa esse demonstrandum suscipimus. Alia certa est nominis originatio, quod modo paullo altius repetendum putamus.

Barbarorum incursiones, armorum strepitus, bellorumque vastitas cum maxima in Christianam Remp. importarunt mala; tum illud omnium gravissimum, quod Ecclesiastici Ordines sensim a primaeva sanctitate, morumque innocentia descivere. Sive grassanti tunc ignorantiae, sive intermissae Synodorum convocationi, sive pravarum gentium exemplo, ac consuetudini id demum tribuendum sit; illud certe in

confesso est, in tantam Clericos erupisse licentiam Seculo praesertim X. & XI. ut pene desperaretur, fore, ut morum corruptelae praesertim, remedium posset aliquod afferri. Pastoribus interim Ecclesiae sollicite quaerentibus, atque inter se consultantibus, opportuna incidit cogitatio, hisce vulneribus non dubia spe medendum, si Ecclesiastici homines a Laicis juxta propriam professionem segregati una omnes in semotis aedibus sub Episcoporum oculis, unaque cum ipso ad communem degendam viam adigerentur. Ita quippe cum non amplius secularium illecebrarum titillationibus, ac libertinorum scandalis paterent, certo sperabatur fore, ut repurgatis moribus, qui forte pestifera labe essent contacti, ad pristinam integritatem revocarentur; illi vero, qui numquam contagione forent afflati, innocentiae conservandae tutissimum invenirent perfugium. Spem certiorem faciebat experientia. Hac quippe ratione & Augustinus, & Eusebius Vercellensis, & alii nonnulli IV. Seculi Antistites gloriosissimi perfecerant, uti sui Cleri sanctimonia, ac disciplina efflorescerct; posse, quod in paucis illa aetate Episcopatibus obtinebat, tentari, ut in omnibus institueretur. Eo sane consilio in Gallia primus omnium sub VIII. Seculi initia S. Rigobertus Rhemorum Archiepiscopus communem Clero suo vitam indixisse putatur. *Primus fertur*, ait vitae ejus conscriptor, *commune eis instituisse aerarium*. Quod nescio an commode ad communis vitae institutionem detorqueri queat. Illud certo certius constat eodem Seculo S. Grodogangum Episcopum Metensem Clericos suos ad vitae communionem compulisse, iis insuper conscripta ex Augustini, ac Benedicti instituis regula. *Hic Clerum*, ait Paullus Diaconus, *adunavit, & ad instar Coenobii intra Claustrorum septa conservari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent*. Principes ipsi

sa-

ſapientiſſimi inprimis Pipinus, ac Carolus Magnus hac in parte Paſtorum incenſo ſtudio mirifice velificati ſunt. Immo, cum animadverterent, Monachos ipſos abjecta ſeveriori diſciplina, qua temporalium rerum abdicatio cum primis imperatur, in molliorem Clericorum vitam declinaſſe, indulgentius cum iis agendum rati ſunt, cum meliores ſint boni Clerici, quam mali Monachi; modo tamen & ipſi in Coenobio aliquo ſemoti ab hominum conſuetudine ſub Abbate degerent. Duplex hinc orta Canonicorum claſſis: alii quippe in Cathedralibus Eccleſis ſub Epiſcopo, alii in Collegialibus ſub Abbatibus communi vitae, ac Canonicorum regulae ſerviebant. De utriſque Turonenſe III. an. 814. can. 13. De primis can. 23. ſic praecipit: *Canonici, & Clerici Civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus, ut in Clauſtris habitantes ſimul omnes in uno Dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur Refectorio, quo facilius poſſint ad Horas Canonicas celebrandas accurrere, ac de vita, ac converſatione ſua admoneri, & doceri: victum, ac veſtitum juxta facultates Epiſcopi accipiunt, ne paupertatis occaſione per diverſa vagari cogantur*. De ſecundis ſtatuit can. 24. *Simili modo & Abbates Monaſteriorum* (ſic promiſcue ambae hae ſodalitates appellabantur) *in quibus Canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicite ſuis provideant Canonicis, ut habeant Clauſtra, & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur, Horas Canonicas cuſtodiant, victum, & veſtitum, juxta quod poterit Abbas, habeant, quo facilius poſſint ad Dei ſervitium conſtringi: ſintque Abbates ſibi ſubditis bene vivendo duces, ac praevii*. Vides profecto paria omnino, & his, qui ſub Epiſcopo erant, & qui ſub Abbate, praeſcribi. Sed ut oculis ipſis perſpicias hoſce Abbatibus obnoxios, veros non fuiſſe Monachos, ecce tibi Canon ejuſdem Concilii 24.

F 2 Mo-

Monasteria , in quibus Regula B. Benedicti penitus abolita negligitur . . . aliqua sunt , in quibus pauci sunt Monachi , qui praedicti Patris Regulam suis Abbatibus promissam habeant , quippe cum ipsi Abbates magis Canonice , quam Monastice inter suos conversari videntur . Hi igitur Monachi nomine tenus tales erant , Regula abolita , ac neglecta una cum suis Praepositis ad Clericalem omnino vivendi rationem sublapsi erant , quibus & illud vere exprobrabat Carolus Magnus epist. ad Albinum : *Aliquando enim Monachos , aliquando Canonicos , aliquando neutros vos esse dicebatis* . Sed tolerabilius visum est illos Canonice , ac sub aliqua Regula , quam sub nulla omnino vitam si non criminosam , desidiosam saltem agere . Hinc optionem illis dat idem Carolus in Aquisgranensi Capitulari : *Illi Clerici , qui se fingunt habitu , vel nomine Monachos , & non sunt , corrigendi omnimodis videntur , ut veri Monachi sint , vel vere Canonici* , idest non vagi , non errones , de quibus Moguntinum can. 22. *Neque sub Episcopo , neque sub Abbate , Clerici vagi , sive Acephali , sine Canonica , sive Regulari vita* . Quod profecto tunc maximae execrationi habebatur . Demum hos veri nominis Monachos non exstitisse & inde patet , quod per regulam sub Ludovico Pio concinnatam iis patrimonii possessione non interdicitur .

Haec porro ideo latius paullo memoravimus , ut innotescat Collegialium Ecclesiarum extra Cathedralem Conventum , ac Collegium origo . Nam primo Clerici omnes ad Coenobiticam vitam utraque Potestate conspirante urgebantur . Deinde Episcoporum facultates seu Ecclesiarum patrimonia impares erant tantae familiae alendae ; eo praesertim tempore , quo non pauci contra Chalcedonense vetitum Ordinationes vagas interdicens ad Ordines promoveri coeperant . Hinc ipse Crodogangus Regula sua

Epi-

Episcopos monitos vult, ne superfluam sibi Clericorum multitudinem aggregarent, sed pro census, ac redituum ratione, tot sibi adjungerent, quot & alere, & regere commode possent. Denique Monachi ipsi, qui Monasticae professionis pertaesi Canonicam vitam optaverant, hi omnino perfecerunt, ut alia pene similia Canonicorum Collegia in Ecclesiam inveherentur. Accessit his omnibus pietas, ac Religio Principum, qui nonnulla excitarunt & ipsi Canonicorum Collegia, suoque aere dotarunt. Hinc ergo prognati Collegiales Canonici sive in ipsa Episcopali urbe, sive extra in pagis, quibus certe nihil commune cum Canonicis Cathedralium. Haec porro Canonicorum vita communis his coepta initiis Seculo demum XI. longe, lateque percrebuit sub Nicolao II. & Alexandro II. cum duobus Conciliis hisce sub Pontificibus Romae habitis Clerici majores, Diaconi nempe, ac Presbyteris (quibus solis in illa Ecclesiasticae Disciplinae instauratione continentiae lex ineluctabilis impacta est) in communis vitae societatem coire jussi sunt. *Praecipientes statuimus*, verba sunt can. 4. *ut hi praedictorum Ordinum, qui Praedecessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, sicut oportet religiosos Clericos, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, simul manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant*. Omnia tunc fere Capitula hanc caelestem vivendi normam amplexa sunt: immo tanta vis in exemplo fuit, ut & Laicos ipsos permoverit, ut in sacras convenirent frequentissimi sodalitates. In vicis ipsis, in villulis virorum, ac puellarum ipsarum examina religiosam sub Presbyterorum regimine vitam aggressa sunt. Verum maxime dolendum est, quod haec aurea disciplina Clericos omnes sub communione constringens, res fuerit

rit unius, non amplius seculi; jam enim ante annum 1200. in plerisque per Orbem Ecclesiis exoleverat, vixque in perpaucis adhuc constabat.

Nunc e diverticulo in viam. Clericis jam per octo secula Canonicis nuncupatis, quod in Canonem, sive Matriculam Ecclesiae relati essent, unde ad vitam necessaria accipiebant stipendia; nominis significatione paululum inflexa hoc nomine condecorari coeperunt ob Regulam, qua vitae communis societate copulati illigabantur. In hosce ergo Canonicos de novo procusos illud, quod initio posuimus, quadrat; nempe in eos veteris Presbyterii jura omnia esse transfusa. Haec ita depicta Canonicorum Collegia, sive Capitula, ait Thomass. Part. 1. lib. 3. cap. 9. illum ipsum vetustissimum Clerum censendum est non repraesentare modo, sed esse Episcopi Senatum, & Concilium Episcopis suis sociatis; & communis vitae nodo tunc devinctiorem; nec ob solutam modo communionem minus cohaerescens, nec pristinis umquam decurtatum praerogativis.

De utroque nunc tempore & invalescentis scilicet, & distractae communionis disserendum est. Sed in antecessum nonnihil discriminis inter vetus, novumque, si ita loqui fas est, Presbyterium adnotandum est. Et principio quidem vetus Presbyterium omnes ad unum complectebatur Urbanos Presbyteros, ac Diaconos sive Cathedrali, sive civicis Ecclesiis affixos. Nemo ullibi praeter eos sive Presbyter, sive Diaconus. Coeperunt temporis processu alii Ordinibus initiari, ac primo, ut Magnatum Oratoriis operam navarent, in iisque sacrificia offerrent. De his Concilium Arvernum Can. 15. *Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neque in civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis Officio sancto deserviens . . . praecipuas solemnitates nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in Civitate teneat.* Apparent

rent nunc primo exortes hi Presbyteri, ac Diaconi, a Cathedrali, & Civitate in villulis extorres, qui tamen & ipsi Urbano Clero aliquo pacto illigantur, dum praecipuis festis diebus cum Episcopo, ac ceteris Clericis convenire jubentur. Multiplicatis hisce Oratoriis & multiplicati sunt hujusmodi Ministri; immo & in immensam segetem cum excrevissent, quo tempore beneficia curae expertia adinventa sunt, nonnisi ex selectioribus Presbyteris, ac Diaconis doctrina, ac morum sanctimonia Presbyteria, sive Capitula coeperunt compingi. Secundo in Presbyterio superioris aevi iis tantum Presbyteris, ac Diaconis locus erat, qui per sacram inaugurationem & Ordine, & animarum cura, & Beneficio, sive jure accipiendae ab Ecclesia substentationis augebantur. Tria ergo haec omnia simul eodem concurrebant tempore, Ordinatio, Pastoralis sollicitudo, Beneficium. Quam belle, quam sapienter haec constituta! Nescio quo Ecclesiae infortunio haec, quae tam mirifice, tam amice conspirant, coeperint sejungi. Post seculum XII. Beneficia ab Ordine distrahi coepta. Item pessimo omine in Ecclesiam inducta distinctio Beneficiorum, ut alia curae forent obnoxia, alia ab hujuscemodi onere libera. Factum est hinc, inter alia gravissima incommoda, ut Ecclesiastici coetus viri in ea potissimum oculos, animosque intenderent Beneficia, quae simplicia appellant, otii, turpisque desidiae fomenta. Illi porro, qui ad curata Beneficia animum appellebant, ut quam sero possent labori humeros supponerent, in longum Ordinationem protrahebant, illud unice curantes, ut redituum possessionem nanciscerentur. Omnino igitur lege severissima opus fuit, ut nisi intra statutum tempus Ordinem quis Beneficio respondentem adipisceretur, jure in illud acquisito omnino excideret. Et quod ad Capitula spectat Tridentino jure cautum est, Sess. 22. cap.

 4. ut

4. ut singulis Canonicatibus, ac Portionibus, Ordo sacer aliquis illigaretur; ita ut dimidia saltem pars Presbyteris constaret. Unde & illud evidentissime colligitur, Canonicatus eo tempore ab Ordine seorsum conferri solitos, Ordine inquam sacro; nam nec simplicibus, ut ajunt, Beneficiis, nisi prima saltem Tonsura insignitus donari umquam potuit. Hinc & illud evincitur, infantibus, adolescentulisque haec majora Beneficia passim collata non sine maximo Ecclesiae, & Ecclesiasticae disciplinae detrimento. Sed gravissimis hisce incommodis obviam itum est per Tridentinam legem, factumque, uti in Canonicum nemo cooptaretur, nisi ea aetate, qua possit intra annum sacris initiari Ordinibus. Sed illud pristinae integritati minime restitutum, quod animarum curam spectat; adhuc enim Canonicatus inter Beneficia passim recensentur curae expertia. Optaret id quidem Ecclesia. Et sane, cum ad Congregationem Concilii perlata esset caussa Capituli Sipontini in nostro Regno, ubi Parochiae sunt non aliis creditae Parochis, quam Dignitatibus, ac Canonicis Ecclesiae Cathedralis, quorum unusquisque sortitus est Parochiam ab aliis omnibus distinctam; non censuit sacra Congregatio quidquam immutandum in ea disciplina, quae tantopere antiquis moribus consentiret, cum Parochi Ecclesiarum variarum iidem ipsi essent & Ecclesiae majoris Canonici, ac Consiliarii Episcoporum; quod ex sacro Cardinalium Collegio manifestissime apparet. Illud tantummodo declaratum est, eamdem ad hos Canonicatus aetatem desiderari, quae ad Parochias regendas. Videsis Barbosam de Parochis part. 1. cap. 6. n. 30. Nihilominus tamen, utut Canonici illo animarum curandarum onere peculiari levati fuerint, adhuc tamen Paroeciarum totius Dioeceseos eminenti quadam, ac generali sollicitudine, ac regimine, eo nimirum, quo Episcopus ipse tenetur, una cum

eo

eo ex vi sui ministerii obstricti, devinctique sunt. Adisis Thomassinum. Tertium nunc promo discrimen inter priora, ac posteriora Capitula. Et priora quidem solis constabant Presbyteris, ac Diaconis. Hi nimirum Ordines tantum una cum Episcopali Hierarchici, ac Sacri semper in Ecclesia habiti sunt. Iis proinde jus suffragii in Ecclesiae procuratione numquam non concessum. Quamobrem Paschalis II. Episcopo Compostellano ad hanc normam Ecclesiam suam jubet componere, ut Presbyteros, ac Diaconos sui senatus, quem semper consuleret, loco habeat: *Cardinales*, inquit Epist. 10. *in Ecclesia tua Presbyteros, seu Diaconos tales constitue, qui digne valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.*

Sed placuit demum & Hypodiaconatum inter Sacros Ordines recensere, quod sedente Urbano II. contigit. Tunc & Hypodiaconis etiam non communicari non potuere potissima Presbyterii jura, & ornamenta praecipua. Hinc in Biterrensi Concilio cautum, ut nemini superiores implere sedes, aut jure suffragii in Capitulo potiri permitteretur, nisi Hypodiaconatus Ordine insignito: *Inhibemus*, ait Can. 13. *ne aliqui Canonici seculares stallum in Choro, vel vocem habeant in Capitulo, nisi fuerint in sacris Ordinibus constituti, nisi ex caussa fuerit cum eis ab Episcopo dispensatum*. Valentina Synodus an. 1248. Canonicis subdidit poenis Canonicos illos, qui moras nectebant, ne Subdiaconi, Diaconi, aut Presbyteri initiarentur, *quando id necessitas requirebat*. Salmuriense Concilium an. 1253. Sacerdotali Praebenda cadere jussit, qui Sacerdotio inaugurari respueret. Et quoniam Biterrense modo laudatum indulgentiae hac in re locum fecerat, & Episcopi permiserat arbitrio, id abrupte prohibet Avennionense edicens, nemini omnino sive in Cathedralibus, sive in Collegialibus Ecclesiis suffragii

jus

jus permittendum, nisi Subdiaconatus Ordine aucto: *Cum nullus Cathedralis, vel Collegialis Ecclesiae Canonicus, nisi sit Subdiaconus, vocem de jure in Capitulo habeat*. Aditum vero intercludit omnino ad Capitulum Synodus Ravennas an. 1314. nisi sacris sit initiatus: *Solummodo*, ait, *in sacris Ordinibus constituti, & non alii ad Capitula vocentur, & vocem habeant in Capitulo. Et haec intelligimus de secularium Clericorum Capitulis*. Non aliunde, quam ex hac neglecta salutari observatione in Capitula profectam labem gravissimis verbis queritur Moguntina Synodus an. 1549. quod nempe juniores Canonici ad suffragii jus passim in Capitulis admitterentur. *Non sine magna ratione Majores nostri juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non statim ut Beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub jugo Praelatorum detineri voluerunt*. Nescio quid hic videmur audire illi simile, quod Apostolus edixerat: *Non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli*. Saluberrimas hasce constitutiones auctoritate sua demum confirmavit, & ad Monasticas etiam Congregationes ampliavit Tridentina Synodus sess. 22. cap. 4. *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata Seculari, aut Regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum*.

Nunc ad institutum. Nova haec igitur Presbyteria, Collegia, sive Capitula, ut loqui amant, & communionis tempore initae, & distractae in veteris jura successere, iis iisdem semper potita, ac modo potiuntur. Et quidem communis vitae aevo nemini profecto dubium esse poterit, si mentem advertat, tunc Episcopis majorem datam opportunitatem Senatum suum habendi, eosque in omnibus consulendi, quibuscum contubernii, vitaeque indivul-

vulsa tenebatur consuetudine. Praeclarissimum certe in hac parte specimen exhibuit Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus. Hic certe communis vitae studiosissimus, ut ei arctius Capitulum suum illigaret, Canonicorum numero adaucto Aedes etiam iis excipiendis amplificavit regia munificentia opus promovente: *Praeceptum Caroli*, ait Flodoardus lib. 3. cap. 10. *de via, quae impediebat ad Claustrum Canonicorum S. Rhemensis Ecclesiae amplificandum, quoniam & numerum Canonicorum augmentaverat, idem Domnus Hincmarus obtinuit*. Id quidem laude dignum, sed illud admiratione dignissimum, quod cum summa & peritia, & doctrina polleret, nil sine Canonicorum suorum sententia moliretur, quippe qui probe calleret, hunc ex antiquissimo Ecclesiae more Episcopi esse Senatum. En tibi ex multis pauca. Abbas nescio quis Ecclesiae fundos ad censum sibi concedi postulabat; hoc negotium de communi Canonicorum consilio expediendum censuit sapientissimus Archiepiscopus. *Abbas*, ait cit. Flodoardus ibid. cap. 14. *sub censu sibi dari petebat. Sed Hincmarus id agere sine Clericorum suorum consilio renuens, mandat ut easdem ad custodiendum interim suscipiat, & descriptionem earumdem sibi mittere studeat, & postea quod cum Ecclesiasticorum consilio Ministrorum rationabilius consideraverit, ei remandaturus sit*. Sed res longe gravioris momenti, ut quae spiritualem spectarent disciplinam, cum iisdem communicatas volebat. Eos igitur certiores fecit de Canonicis duobus, qui ceterorum deseruerant societatem; utque eos benigne acciperent reversos, admonuit: *pro receptione Odolardi, & Valterii, qui ab ipsa Congregatione irregulariter discesserant*; eadem humanitate utendum scripsit erga Adalgandum Diaconum, pro quo Rex etiam Ludovicus precatorias ei per eumdem direxerat: verba sunt laudati Flodoardi ibid. cap. 28. Simile quidpiam

piam usurpare videtur exercitus Imperator, qui habito consilio Ducum perfugas captos, aut sponte redeuntes milites communi suffragio, ac sententia damnat, vel absolvit.

Neque id mirum; nam Capitulo potestas erat de caussis cognoscendi Collegarum suorum. Ita disertis verbis edicunt Caroli Magni Capitularia lib. 7. cap. 6. *Si quis Episcopus damnatus a Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus a suo Capitulo, ausi fuerint de sacro ministerio aliquid contingere, non liceat ei restitutionis spem habere*. Nemo ringatur, si in re spirituali Capitularium advocemus auctoritatem. Iis nam condendis Ecclesiastica, ac Laica potestas simul amice conspirarunt. Mitto hic, quod Lupus Catalaunensis invasae jurisdictionis postulatus ob Rhemensem Diaconum ab sese consecratum Sacerdotem, culpam a se avertit, tum quod Regi Carolo fuerit obtemperandum jubenti se in Rhemensi Ecclesia Episcopales functiones obire; tum vel maxime, quod Archidiaconi, ceterorumque Canonicorum accesserit beneplacitum: *Quo circa cum epistola regia*, inquit saepe memoratus Flodoardus lib. 3. cap. 11. *ut ipsum Halduinum Presbyterum ordinaret, Archidiaconus Rhemensis Ecclesiae cum aliis Comministris tam Canonicis, quam Monachis illi obtulerit, eumque ad votum praefati Principis, & offerentium ordinaverit*. Nihil quippe hic singulare factum est, quod non & antiquitus usurpatum fuerit; & modo etiam non sit moribus receptum; ut scilicet Sede vacante, uti tunc contigerat, cum jurisdictio in Capitulum plane convertatur, ab eo Pontificalium exercendorum munerum facienda sit venia.

Aldricus Episcopus Senonensis nihil quidquam de Ecclesiae suae statu censuit immutandum praeter Capituli sui, imo & Monachorum etiam, ipsorumque laicorum sententiam. *Idcirco*, inquit, *cum consilio Fratrum nostrorum, Canonicorum videlicet, & Mona-*

nachorum, *necnon & Fidelium Laicorum visum est nobis*. Nolim mihi hic quaestionem ex Laicorum hominum consultatione moveri. Redolet id antiquum morem, cum Laici etiam ad Ecclesiasticos advocarentur Conventus, uti superius fuse disputatum est, non ex necessitate quidem, sed ex abundantia; cum fortassis hic aliquid ad Laicos spectans agitaretur. Quum pulchre vero Canonicam memorat auctoritatem Jonas Augustodunensis Episcopus, cum fundos quosdam Canonicorum Ecclesiae suae sustentationi collaturus, id ex ipsius Presbyterii consensu se fecisse confitetur: *De facultatibus*, ait, *Canonicorum coetui mihi commisso aliquod subsidium conferre studui . . . secundum Canonicam auctoritatem adhibito consensu Presbyterorum, ac Diaconorum ob Divini cultus amorem superaddere studui eis*. Quod ergo consensus expetendus Capituli sit, ex Canonica descendit auctoritate.

Anno 1090. Gerardus Cadurcensis Episcopus Regulares Canonicos suam in Ecclesiam Cathedralem invexit; inque eorum Collegium ad communem vitam comparatum multa & jura, & Ecclesiae suae bona munificentissime congessit. Dignitates vero, ac Capituli Praebendas uni sibi conferendas servavit cum Consilio tamen Canonicorum suorum. *Pro nostro Decreto per consilia Canonicorum ordinanda sint in posterum*.

Et quoniam paullo superius nonnulla de Capituli jure Sede vacante attigimus, nemo nobis succenseat, aut crambem recoquere oggerat, si Parisiensis Cleri hic exemplum proferamus. Consentit enim adamussim Augustini, Alipii, aliorumque Africanorum Episcoporum instituto, qui Coëpiscopis suis scriptitabant conjunctim cum Congregatione Cleri, quae in unam cum suo quaeque Episcopo societatem coaluerat. Res erat de deligendo Pastore, qui Metropolitanam Sedem impleret. Primas agit Metro-

po-

politanus Clerus, utpote qui Episcopo Metropolitano decedente omnes in se ejusdem praerogativas, munia, ac jurisdictionem exciperet; proindeque ipsis etiam Provincialibus Episcopis antecelleret. *Religiosissimis*, Epist. 98. inter Ep. Lupi Fer. *Patribus*, & *Fratribus Guniloni Metropolitano Senonicae Sedis Antistiti*, & *universo Clero ejus*, & *ceterarum Ecclesiarum Praesulibus*, *quae Dioecesis memoratae Sedis censentur*, *cunctisque in eis Deo famulantibus*, *Clerus Matris Ecclesiae Parisiorum*, & *Fratres Coenobii Sancti Dionysii*, *ac Sancti Germani*, & *B. Genovefae*, *ac Fossatensis*, *diversorumque Monasteriorum unanimitas*. Illud hic quoque peculiare, celebriores Abbatias in consiliorum advocari communionem, quod supra ex Aldrico Senonensi didicimus: *cum consilio Fratrum Canonicorum*, *ac Monachorum*. Neque praetermittendum non Episcopis solum, sed Clero toti epistolam inscribi, ut eadem utrorumque & consiliorum, & regiminis societas indivulsa ostendatur.

Concludat hoc coalitae inter Canonicos Communionis tempus Elnensis Concilii Canon an. 1065. caussas ad Episcopi, ac Canonicorum judicium rejiciens: *emendet ad judicium Episcopi*, *ac Canonicorum* . . . . *querela ad Episcopum*, *vel ad ejus Canonicos fiat*. Ex hac porro saepissime commemorata communione illud necessario sequebatur, ut Episcopi ipsi & a Capitulo, & ex Capituli gremio deligerentur, ac Canonici nonnisi Capitularibus suffragiis optarentur. Cum nempe ad Coenobiticam vitam conformata essent Capitula; quemadmodum ad Coenobium non patet aditus, nec Praepositus quis renunciatur, nisi ex Monachorum calculis; ita in Canonicum nemo cooptabatur, nec Episcopus creabatur, nisi ex Canonicorum sententia. Id quod perdiu etiam in Ecclesia stetit ad Johannem usque XXII. qui Cancellariae Regulas, ac Reservationes invenit.

Sed

Sed mirum fortasse videbitur, quod cum communis vita intimius Episcopis Canonicos conjunxisset, ex hac ipsa societate inita Capitulorum Exemtiones originem duxerint. Res tamen ita sese habuit. Cum nimirum in quamdam Religiosae familiae speciem Capitula evasissent, omnino fieri non poterat, quin potestas aliqua Rectoribus, seu Praepositis (quocumque demum nomine appellati) impertiretur. Quae tota quidem potestas; sive jurisdictio initio certe solis correptionis paternae cujusdam angustiis concludebatur; quam claustralem disciplinam rectius nuncupaveris. Prostant exempla, & quidem rigidioris hujus disciplinae apud Thomam Cantipratensem, qui lib. 1. cap. 7. poenam refert, qua cujusdam in Germania Capituli Decanus, & Capitulum ipsum Canonicum affecere flagitiosa libidine commaculatum: *A Senibus*, inquit, *Concanonicis ac Decano ab ingressu Ecclesiae arctatus est, & infra septa Monasterii quasi pro agenda poenitentia in loco ad hoc deputato reclusus: qui humiliter poenam suscipiens, flagellabatur interim a Decano, & gravibus conviciis culpabatur*. Acrius vero in Archidiaconum Rhemensem regia necessitudine insignem ad Catalaunensem Cathedram postulatum, & ob culpam fortasse levissimam saeviit ejusdem Ecclesiae Decanus, quod nempe, cum Leodiensis Episcopus efferretur, funeri sine Canonicali indumento interfuerit. Nudatum ergo illum in Capituli medio virgis manu ipse propria emendavit. Nec dissimilis sui vir hic exstitit etiam in ipsum Nepotem suum Atrebatensem Canonicum; annua Beneficii suspensione mulctatum ob incontinentiae vitium. Decano quippe huic Atrebatum profecto, cum ejus Urbis Capitulum illi gratificaturum, totam caussam nepotis, poenamque omnino permisisset; non modo nihil de severitate remisit, sed ad annum alterum prorogari poenam voluit. Apud eundem Cantipratensem lib.

2. cap.

2. cap. 39. Omnimodo erat hujusmodi potestas ab omni Episcopi auctoritate soluta, ad quem nulla dabatur appellatio; quod & nunc in Claustris Monachorum usuvenit.

Huic necessariae, quam memoravimus, disciplinae, accessit saepiuscule Episcoporum liberalis concessio, qua in Capitulum ipsa Episcopalia jura collata esse volebant. Memoratu dignissima est Episcopi Caesenatis munificentia, quippe qui Capitulum suum permagna jurisdictionis suae parte donavit, talique potestate, quae proxime ad Episcopalem accedit. *Do, & trado*, verba sunt concessionis, *plebem S. Mauri . . . Et insuper omne dominium, omnem jurisdictionem, usum, seu consuetudinem, ut libere, & pleno jure possitis vos, & vestri successores nomine Canonicae Caesenatis dictam Plebem, ejusque Cappellas, earumque Rectores, & Clericos instituere, & destituere, visitare, corrigere, suspendere, interdicere, excommunicare, deponere, privare, & absolvere, ac in eis plenam jurisdictionem tam in caussis civilibus, quam etiam criminalibus, sicut ego cum meis successoribus nomine Episcopatus facere possem*. Hisce ergo initiis ad omnimodam, ac plenam Exemtionem Capitulorum maxima pars perniciosissimo gradu adproperavit. Arbitrariae quippe hae sive tacitae, sive expressae concessiones temporis processu continuere, & vetustate roboratae in legitimam prope praescriptionem abiere. In immensum porro excreverant Viennensis Concilii tempore, cum de iis revocandis cogitatum est, uti & de Regularium privilegiis. Sed tum non ultra processum; Schismate autem Avennionensi foede Ecclesiam dilacerante, cum latissime percrebuissent, visum est Constantiensi Concilio illas saltem Capitulorum Exemtiones revocare, quibus sine Episcopi consensu Canonici fuissent potiti, statutumque nullas amplius concessum iri, nisi caussa cognita, vocatisque, quorum interest:

In-

Interim non intendimus exemtiones de cetero facere, nisi caussa cognita, ac vocatis, quorum interest, Sess. 43. Easdem nec sustulit Synodus Tridentina, sed intra arctiores conclusit limites, Sess. 6. cap. 4. & Sess. 25 quas consule, si vacat.

Exemtionibus hisce decurtatis, & Canonicis socialis vitae nodo jampridem solutis, adhuc immota steterunt Capitulorum jura prisca illa, decora, atque ornamenta; communio inprimis ipsum inter & Episcopum in Pastoralis regiminis cura. Id quando nunc extrema hac Capitulorum aetate discutiendum superest, idque omnium maxime urget; age, majori qua possumus diligentia exsequamur. Ac principio quidem non abs re erit sapientissimi illius consilii meminisse Paschalis II. qui Compostellano Episcopo auctor fuit, ut tales sibi Presbyteros, sive Canonicos constitueret, qui digne valerent commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere. Cui consilio si obsequerentur Episcopi, imposita humeris suis gravissima sarcina maxima ex parte levarentur. Indivisam curam Episcopi, ac Capituli prae oculis habens Callixtus II. vetuit, ne Archipresbyteri, vel Archidiaconi pro illorum temporum disciplina Clericorum neminem interdicerent, Archiepiscopi, ac Capituli injussu: *Praeter Archiepiscopi, & totius Capituli vestri commune consilium*, epist. 13. Quibus clarioribus verbis poterat enunciari inter Episcopum, Capitulumque consiliorum Ecclesiasticam rem spectantium communio? Sed rem acu tetigit, ac disertissime hanc societatem expressit Alexander III. Cap. Quanto de his, quae fiunt, &c. aureis illis verbis: *Novit plenius tuae discretionis prudentia* (sic Hierosolymitanum Patriarcham monebat), *qualiter tu, ac Fratres tui unum corpus sitis: ita quod tu Caput, & Fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris, te aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti: cum id non sit du-*

 bium

bium & honestati tuae , & SS. Patrum institutionibus contraire . Innotuit autem auribus nostris, quod tu sine consilio Fratrum tuorum Abbates, Abbatissas, & ceteras personas Ecclesiasticas instituis, ac destituis . Inde est , quod Apostolica auctoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel alias personas Ecclesiasticas sine assensu , vel consilio Canonicorum tuorum instituere , vel destituere de cetero praesumas. Mirifice concinunt novissima primis , quodque prisci Patres de Presbyterii consilio , ac consensu in Ecclesiae negotiis expetendo scitissime statuerunt , hoc ipsum strenuus antiquitatis vindex pro suprema auctoritate sua contra quaslibet innovationes muniendum censuit ; & in re quidem gravissimi momenti, id est institutione , vel destitutione Ecclesiasticarum personarum assensum , vel consilium Canonicorum suorum, vel ipsum Hierosolymorum Patriarcham expetere jussit . Huic sanctissimae Constitutioni Burdigalensis Concilii sanctionem subnectendam censemus, quod inde pene ipsis verbis exscripta videatur: *Declarat haec Sancta Synodus praecipuam in ipsis Ecclesiis auctoritatem ad Episcopos pertinere : eosque consilio , & opera Capitulorum , ac Dignitatum juvari debere, ut membrorum Capiti cohaerentium , & obsequentium .* Similia prorsus sentiebat doctissimus Cardinalis Polus in articulis Reformationis Ecclesiae Anglicanae: *Cum Canonicatus, & Praebendas in Ecclesia instituendi ratio, & caussa haec fuerit , ut qui ad eos assumuntur Episcopo assistant ; eumque in muneris sui functione consilio , & opera adjuvent, & in divinis Officiis celebrandis Ecclesiae inserviant.* Potissimam porro Canonicalium munium partem in eo sitam adverte , ut Episcopis consilio , & opera praesto sint in Pastorali regimine, qua absoluta demum divinis concinendis laudibus in Ecclesia vacandum .

Sed ut ex hac generica disserendi ratione in ipsas rerum

rerum species descendamus, tria illa ab initio posita, quae totam complectuntur politiam, refricemus, praemiorum scilicet largitionem, judicia, ac poenarum irrogationem, quaeque duo alia comprehendit, legislationem. In hisce tribus quippe capitibus a vetusta illa non discrepat novissima haec disciplina. Et quod ad primum pertinet, quemadmodum quo tempore ab Ordinatione Beneficia minime sejungebantur, cum praescriptum esset, ne inconsulto Clero quis Ordinibus initiaretur (quod perinde erat, ac nemini ad Beneficium, sive substentationem, nisi de Cleri assensu aditum patefacere): ita etiam postremo Decretalium jure res plane se habet. Audivimus modo Alexandrum III. Hierosolymorum Patriarchae exprobrantem, quod praetermisso Canonicorum Fratrum suorum assensu, vel consilio Abbates, ceterasque Ecclesiasticas personas instituerent; jubentemque aliam ipsi in posterum rationem in instituendo ineundam, Canonicosque omnino fore consulendos. Apud Innoc. III. conquesti sunt Canonici Inculimenses de Episcopo suo, quod confirmaret Abbates, ac tractaret caussas difficiles sine Canonicorum assensu. Pontifex de jure minime haesitans, factum solum Bituricensis Archiepiscopi inquisitioni permisit. Innoc. III. Regest. I. Epist. 231. Non abs re erit nonnulla huc ex Espenio conferre (ceteris omissis Canonum Interpretibus idem plane sentientibus) quae rem praesentem mirifice confirmant: *Cum Capitulum Cathedrale*, inquit eximius vir Canonice apprime doctus, *totum Clerum repraesentare coeperit, ipsumque Ecclesiae Senatum, praetendit etiam, juxta Canonum praescripta, in Ministrorum electione, & in Beneficiorum collatione, qua Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur, tamquam in re summi momenti, Capituli consilium expetendum.*

Mox sententia sua Alexandrina Decretali confirmata pergit in hunc modum: *Quod de institutione*

 per-

personarum generaliter dicitur , id singulari ratione militare videtur in institutione , aut electione ad Cathedrales Praebendas . Cum enim Canonici , & Episcopus unum quasi corpus sint , aequum apparet , ut ad electionem membrorum totum corpus concurrat . Quod & notat Zypaeus in Novo Jure tit. de Praeb. num. 4. Hinc indubie factum , ut in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus etiamnum Canonicorum electio spectet ad Episcopum , ac Canonicos; quo jure etiam in Regno nostro Cathedrales non paucae potiuntur adhuc ; quae porro id privilegii modo non obtinent , nulla certa lege , sed praescriptione paullatim invalescente ea possessione deturbatae sunt . Nam de jure collatio , sive provisio Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus simultanee spectare praesumitur ad Episcopum , & Capitulum, ait Glossa communiter recepta cap. cum Ecclesia Ulterana 31. de Elect. Juris hujusce Episcopo simul, ac Capitulo Canonicatuum collationem deferentis olfacere aliquid videmur etiam in Capituli nostri Aversani Constitutionibus an. 1603. editis Bernardino Morra Antistite , Canonicisque ad id operis Auctoritate Apostolica instructis . Harum quippe Caput VII. ita inscribitur : *De qualitate Recipiendorum* . Prima porro Capitis periodus hanc vere perbellam continet praeceptionem : *Quoniam omnis Capituli Dignitas in eorum , qui cooptantur , qualitate nititur , accurate cavendum est , ne promiscue omnes , sed certi homines tum doctrina , tum morum integritate praestantes , quoad fieri potest , deligantur, qui onus sustinere pro dignitate valeant . Quocirca ad aliquam ex quatuor Dignitatibus evehatur nemo , nisi sit vel Canonum Doctor , vel Theologus , aut Licentiatus* . Quid nempe attinebat Capitularibus Constitutionibus hoc caput infercire , si ad unum Episcopum pertineret Canonicorum delectus? Si in ista optione nullae prorsus Canonicorum partes ?

Ut-

Utcumque vero soli sibi totum hoc negotium in plerisque Cathedralibus vindicaverint Episcopi, quemadmodum & Beneficiorum extra Cathedralem collationem; minime vero id fieri passa est Ecclesia, nisi in iis Beneficiis, quibus simplicium nomen adhaesit; ea vero, quibus animarum adnexa cura est, non unius Episcopi judicio permittuntur, sed Capituli quoque, non ἀμέσως quidem, sed data Capitulo facultate Examinatores probandi sive in Synodo, quos propterea Synodales appellant, sive extra, si Prosynodales fuerint; a quorum sententia Episcopo discedere fas non est Tridentina Synodo sic diserte praecipiente. Idem prorsus obtinet in Praebendis, tum Theologica, tum Poenitentiali, quae concursu instituto conferendas jubet Benedictus XIII. Bulla *Pastoralis*. Immo & in simplicium quoque Beneficiorum, multoque magis Canonicatuum collatione, ubi ab ea Canonici exclusi sunt, quis negaverit consilium saltem, si non assensum Capituli exquirendum esse ex saepe laudato Alexandri decreto?

Ad alterum caput accedo, quod est de judiciis, poenarumque inflictione. Meminerimus hic illius Africani Canonis, qui IV. Seculi disciplinam refert, nullius caussam, nisi Clero praesente audire Episcopum debere, si sententiam suam irritam esse nolit. Similia omnino novissimo Decretalium jure. De criminalibus quippe caussis cognoscere Episcopi haudquaquam possunt, nisi sibi Canonicis adsidentibus: *Coram Ecclesiae senioribus*. Verba sunt Cap. Qualiter, & Quanto de Accusat. veterem morem confirmantis. Cui praeiverat Gregorius M. lib. 11. epist. 49. *Si quid vero de quocumque Clerico ad aures tuas pervenerit, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed praesentibus Senioribus Ecclesiae tuae diligenter est veritas perscrutanda, & tunc, si qualitas rei poposcerit, Canonica districtio culpam feriat delinquentis*. Eadem Gre-

gorii auctoritate nititur Innoc. III. cap. Licet Heli 31. de Simonia ejusdem Pontificis verba transcribens: *Nam juxta Canonicas sanctiones*, inquit, *si quid de quocumque Clerico ad aures Praelati pervenerit &c.* Hoc de judiciali cognitione, de poenis vero reminisci non pigeat toties memoratam Alexandrinam Constitutionem vetantem omnino Ecclesiasticas personas destitui Capitulo ad id non consulto. Et adhuc disertius cap. Quanto de his, quae fiunt a Praelatis &c. *Fraternitati tuae mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiae tuae negotiis Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes, & quae statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes, & evellas.* Idem semper Rom. Pontifices disciplinae solliciti ursere, ut omnia de Fratrum peragantur consilio, satis persuasi sapientiam in consilio habitare, nec nemini propriae prudentiae innitendum, fidendumque. Omnino decernit Caelestinus III. cap. Quaesivit: *De his, quae fiunt a majori parte Capituli*, uti Interdictum, ceteraeque Canonicae poenae non infligantur, nisi per Episcopum consentiente Capitulo: *Fraternitati Tuae taliter respondemus, quod interdictum in aliqua Ecclesia per aliquem, & per aliquos de Canonicis tuis sine tuo, & aliorum Fratrum assensu positum observare non debes, nec etiam sustinere, ut ab aliis observetur.* Quam sanctae praeceptiones istae, quibus concordia caput inter, ac membra perbelle fovetur! Et ita quidem res processere, donec caritas coetibus Ecclesiasticis praefuit. Sed ubi in isthaec sacra Collegia pestifera pervasit ambitio, dissociatis animis solidam jurisdictionem utraque pars ad se corripere, & totam complecti probrose tentavit. Et Capitula igitur in Episcoporum jura irrupere satis intemperanter. Apparet quippe ex Decreto Lateranensis IV. sub Innoc.

III.

III. evenisse aliquando, ut Canonici Ecclesiam suam Interdicto supponerent; de quo tamen poterat Episcopus apud Metropolitanum conqueri, & interim in Ecclesia celebrare, si sine justa, ac rationabili caussa sententia pronunciata fuisset. Cap. Dilecto in Sexto de sent. Excommun. probat Pontifex Innoc. IV. sententiam excommunicationis a Decano Aurelianensi in quemdam Ecclesiae bona occupare molientem propria auctoritate prolatam. Eam consuetudinem invalescentem temperamentis aliquot molliendam censuit Lugdunense II. Accepimus modo ex Caelest. III. cap. Quaesivit, Canonicos singulares sine Episcopi, & Fratrum assensu Interdicti sententiam intorquentes. Hisce initiis eo perventum est, ut Episcopalis jurisdictionis magnam partem Capitula nonnulla praescripserint, quem titulum legitimum habet jus Pontificium. Neque interim sibi quiescendum Episcopi censuere. Ipsi etiam in jure Ecclesiastico dicundo, criminibusque coërcendis ab suo consortio paullatim Canonicos segregantes numquam denique constitere, donec eos omnino de Tribunali repulerint, atque in praescriptione ipsi etiam sibi titulum conquisierint. Audiatur hac in re Fagnanus, licet innovationis caussam in Canonicorum ignorantiam satis contumeliose conferat: *Sed hodie*, inquit lib. 5. pag. 123. *forte propter ignorantiam Canonicorum communiter Episcopi contra eos praescripserunt, ut ipsi soli absque Capituli consilio de criminibus inquirant, & jurisdictionem exerceant; & valet haec praescriptio*. Si vera sint, quae hic Canonicis opponit Fagnanus ignorantiae eos postulans, in Episcopos recidit culpa, quos vehemens suspicio gravat doli mali, perinde ac si eo consilio ignaros Capitulo allegerint, uti solitarie ipsi rem gererent secluso Canonicorum consortio. Nam difficile creditu est, vel in media seculorum barbarie, nonnullos repertum iri doctrina praestantes, qui in Canonicos adlegerentur.

 Ter-

Tertium restat modo, quod in Legislatione versatur. Res haec ex antiquissimo Ecclesiae more in Synodis ut plurimum expeditur. Eadem antiquitate docti Presbyteros ad Synodum convenisse, iisque subscripsisse innumeris prolatis monumentis superius evicimus. A veteri porro disciplina hodiernam non abhorrere instituti nostri nunc ratio postulat, ut doceamus. Ordiamur ab Innoc. III. jubente Cathedralium Ecclesiarum Capitula ad Synodum Provinciae invitari, Cap. Etsi membra de iis, quae fiunt a Praelatis: *Provinciae Senonensis Capitula Cathedralium Ecclesiarum ad nos querimoniam transmiserunt, quod Archiepiscopus Senonensis, & ejus Suffraganei Procuratores eorum nuper ad Provinciale Concilium convocatos ad tractatum eorum admittere noluerunt. Visum fuit nobis, ac Fratribus nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, & eorum Nuncii ad tractatum admitti, maxime super illis, quae ipsa Capitula contingere dignoscuntur.* Praeiverat exemplo Innocentius ipse, qui Lateranensi IV. Oecumenico ab sese indicto Collegialium Ecclesiarum Delegatos adesse voluit de rebus ad se spectantibus tractaturos. Illud certe indignius ferendum est, jam tum Episcopos ab sacris hisce conventibus contra inveteratum Ecclesiae morem Capitula prohibere tentasse, ut proinde apud Rom. Pontificem querimoniae locum fecerint, quod non optimae in hujusmodi Collegia opinionis, atque existimationis indicium est. Concilium Provinciale Rhemense an. 1232. cum saepe convenisset ad Augustam Veromanduorum, omnesque ejus Provinciae Dioeceses Interdicto supposuisset; Capitula Provinciae ejusdem huic Interdicto intercessere ea de caussa, quod ad ea Concilia convocata non essent, ac rem pervicere Innocentiana Decretali illis obsecundante. Vacante Rhemensi Sede an. 1271. cum Suessionensis Episcopus Milo Provinciale Concilium pro ejus

ejus Provinciae more indixiſſet, Capitulum Rhemenſe contra obnitendum cenſuit eo ex capite, quod ejus aſſenſus poſtulatus non eſſet; reſque tamdiu dilata, quamdiu huic incommodo obviam itum non eſt. Qui an. 1279. Budenſe Concilium habuit, eique utpote Sedis Apoſtolicae Legatus praefuit, non Cathedralium dumtaxat, ac Collegialium Canonicos accivit, ſed Superiores etiam Regularium, omniumque illorum praeſentiam, ac conſenſionem popoſcit, quorum intereſſet in propriis Eccleſiis ſeveriorem invehi diſciplinam. Haec cum ita ſeſe habuerint in Provincialibus Conciliis; eccui dubium eſſe poterit in Dioeceſanis idem obtinuiſſe, cum in illis inter Epiſcopos ipſos locum habuerint, & ab illis proximas Canonici Sedes occuparint; in iſtis Canonici Patres agant, & poſt Epiſcopum primi ſedeant?

Nunc de Canonicorum ſubſcriptionibus in Conciliis ſive Provincialibus, ſive Dioeceſanis, eorumque ſuffragiorum qualitate, ac valore paullo accuratius diſputandum. Et principio quidem extra controverſiam poſitum video ſuperiori aetate Presbyteros Conciliis ſubſcripſiſſe, in iiſque decisivi, ut vocant, ſuffragii jure donatos. Id non diffitetur immortalis memoriae Benedictus XIV. de Synod. Dioeceſ. lib. 13. cap. 2. n. 5. cujus verba huc tranſcribere non piget: *Plures*, inquit, *ex Provincialibus Synodis Presbyteros una cum Epiſcopis vocaſſe, eorundemque Acta ſubſcripſiſſe conſtat tum ex Concilio Arelatenſi I. habito an. 314. cui plures Presbyteros, quin immo & Diaconos, atque etiam Exorciſtas ſubſcriptos legimus in ejuſdem Actis editis a Syrmondo: tum ex Concilio Rom. ſub Symmacho an. 499. cui ſexaginta octo Presbyteros, & ſeptem Diaconos ſubſcriptos invenimus: tum denique, ut alia plurima praetermittamus*, (&. certe plurima, ut ſuperius probatum eſt), *ex alio Concilio Rom. ſub Gregorio II. an. 721. ubi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſub hac*

hac formula Decretis ab ipsis omnibus communi nomine promulgatis subscripsere: Opportunus Gratia Dei Episcopus Maturanensis huic Constituto a nobis promulgato subscripsi . Sisinnius S. R E. sub titulo S. Sisti Presbyter huic Constituto a nobis promulgato subscripsi : Muscus humilis Diaconus S. Sedis Apostolicae huic Constituto a nobis promulgato subscripsi . Haec ille , quae non immerito ad Dioecesanas Synodos a nobis transferri aequus rerum aestimator minime inficiabitur . Ita Synodus Augustana an. 1548. Statuta Synodalia Episcopi assensione Capituli corroborat : *Adprobante Cathedralis Ecclesiae Nostrae Venerabili Capitulo statuimus , & ordinamus.* Ac ne ingratissimi hominum audiamus , quod extera conquirentes nostra hic memorare minime dignemur , ecce tibi ex Ecclesia Neapolitana id confirmans illustre monumentum apud Mazochium de Eccl. Neap. semper una , Humbertus Neapol. Archiepiscopus an. 1317. Constitutiones nonnullas editurus in hunc modum praefatur : *Humbertus Neapolitanus Archiepiscopus . . . . idcirco de consensu , & voluntate dicti Nostri Capituli infrascriptis Constitutionibus perpetuo valituris duximus statuendum* . In quae verba sic egregie commentatur Vir ad miraculum doctissimus : *Non tantum alienationes , permutationes , uniones , & cetera hujusmodi de consensu , & voluntate Capituli semper factae , verum etiam Constitutiones perpetuo valiturae (uti suas hasce Humbertus vocat) ita demum robur accipiebant , si cum consensu , & voluntate Capituli fierent . Multo magis in Synodalibus Constitutionibus id valebat : quas quidem Archiepiscopus Johannes Ursinus sibi aeque , & Capitulo inscribit ; Constitutiones* , inquit , *Synodales Domni Johannis Archiepiscopi Neapolitani , & ejus Capituli* . Hactenus ille Capituli Neapolitani decus , & ornamentum . Huic sententiae suffragatorem accersimus Pontificale Rom. non mediocris

illud

illud antiquitatis. Agens quippe de Ordine ad Synodum: *Post haec*, ait, *leguntur Constitutiones*, *si quae sint*, *per Synodum approbandae*. Ex quo certo colligitur Synodi itidem suffragium desiderari, ut Constitutiones editae robur, & efficaciam sortiantur, parendique obligationem inducant; quod etiam dilucide confirmat interrogatio Synodi Patribus facienda per verbum *Placet*.

Primo, quod sciam, Capitulis de subscriptione, ac pleni suffragii jure lis mota est in Provinciali Synodo (de Dioecesana quippe nil dubii adhuc subortum erat) Burdigalensi habito an. 1624. Nam in Londinensi an. 1075. non omnino submoti sunt Presbyteri; concessum est enim jus suffragii Abbatibus, qui meri Presbyteri sunt; & quod mireris, extra Presbyterium. Cum nempe Santonensis Capituli Procurator ex antiquo more decisivum suffragium ad Capitulorum Procuratores spectare contendisset, opinionem suam jussus est, tamquam erroneam retractare: *Sacro adprobante Concilio*, *decretis ultimi Concilii Burdigalensis inhaerentes*, *opinionem quorundam*, *qui ausi sunt asserere*, *praeter Episcopos quosdam alios habere vocem decisivam in Concilio Provinciali*, *ut erroneam judicamus*. Hic vides proculam primo distinctionem inter consultivum, & decisivum suffragium toti certe antiquitati incognitam. Sed miramur certe, qua ratione opinioni huic erroris nota inuri possit. Nam non de jure disputamus, sed de facto. De facto autem constat: nempe in confesso est, per plura secula, Presbyteros ad Provinciales Synodos admissos esse cum subscriptione; quod perinde est, ac cum suffragio decisivo. Canus Loc. Theol. lib. 5. cap. 5. Nonne id est contumeliam hanc satis atrocem in Majores nostros evomere, etiam primae omnium Cathedrae Moderatores, qui Presbyterium ad subscriptiones, & pleni suffragii jura in Synodalibus Conventibus acci-

ci-

civere, idque non tam ex liberalitate quadam, & in Presbyteros indulgentia (quam in quibusdam illorum propriae auctoritatis studiosissimis opinari non est), sed quod eam ab Apostolico aevo inveteratam in Ecclesia disciplinam reperissent? Sed cur, quaeso, haec demum opinio erroris accusabitur? Ne forte in Aerii errorem declinemus asserentis nil plane discriminis Episcopum inter, ac Presbyterum intercedere. Risum teneatis amici: perinde, ac si idem esset, Presbyteros in Synodis decisivi suffragii jure potiri, & Episcopis esse compares. Nonne omnium confessione Episcopi ipsi in Synodis Oecumenicis jus habent definitivi suffragii, quin sint tamen Rom. Pontifici pares? Cur ergo erunt Presbyteri Episcopis pares, si definitivi suffragii ipsis etiam in Synodis sive Provinciae, sive Dioeceseos jus permittatur? Nescio utrum illuc confugiant, Episcopos certe definitivum suffragium in Oecumenicis Synodis habere, integrum tamen esse, nec teneri Rom. Pontificem in ferenda sententia majorem Judicum partem sequi, eorumque doctrinam probare. Nam quo demum pacto hoc Episcoporum erit suffragium definitivum, si liberum sit Pontifici Rom. ab illo discedere? Certe non Episcopi, sed Pontifex unus rem conficiet. Quam melius rationes subducit doctissimus Melchior Canus, qui, quamvis, inquit, omnes Episcopi in Generalibus Conciliis veri sint judices, supremum judicium, & certe maximi ponderis penes est Rom. Pontificem Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput. Cui adstipulantes illud asserere posse videmur, etsi definitivum suffragium in Conciliis Minoribus etiam Presbyteris conceditur, supremam in Episcopo, ac praeponderantem auctoritatem agnoscendam, ita ut ejus sententia norma sit, ac regula, a qua ceteris, nisi aperte rationi ac juri dissona fuerit, non facile liceat discedere.

Sed nunc auctoritate pugnemus. Non ignorabant cer-

certe, se Presbyteris antecellere Episcopi illi, quotquot praeteritis Seculis Presbyteros ad subscriptionem, ac jus suffragii decisivi perlubenter admisere; neque ulla fuit in eis mora, quin illos in Episcoporum gremium ad consultandum, ac deliberandum acciperent, quod sint Episcopi & Ordinis, & jurisdictionis potestate Presbyteris superiores, quodque possent leges ferre, quibus ipsi etiam Presbyteri inviti, ac reluctantes coërceantur. Meminerant quippe illius saluberrimae Christi sententiae, quae omnibus seculis Ecclesiae in legislatione pro norma fuit, *Reges Gentium dominantur earum: vos autem non sic*. Volebant ab omnibus caritate duce, ac pedissequa decerni, quod ab omnibus esset servandum. Et nonne etiam Abbates modo quasi Episcopali jurisdictione pollentes, & Ordinum Regularium Generales Ministri ad ipsa Oecumenica Concilia cum decisivi jure suffragii Ecclesia largiente aditum invenere? Cur non Aërianam in Ecclesiam invehi haeresim, & Episcoporum jurisdictioni vim afferri reclamatum est, cum Presbyteri simplices Episcopis in suffragii praerogativa in consessu Orbis terrarum maximo proxime accederent? Nonne Ecclesiasticum novissimum jus, quale in libris Decretalium prostat, Episcopalem potestatem limitibus quibusdam coërcuit, eamque Canonicorum consensui illigavit quibusdam in capitibus, quae inferne dabuntur, (nisi potius in satis paucis rebus libertatem Episcoporum compresserit, quae tota prius ab omnium consensione pendebat) quid? Aërianum in illas leges permeasse virus autumabimus? Sed ut omnia alia taceamus, certe Capitulis consultivum suffragium denegabit nemo; ejusque in Synodis Episcopalibus omnium consensione tanta est necessitas, ut Benedicto XIV. teste si Episcopus inconsulto Capitulo novas ediderit Constitutiones, atque in Synodo promulgaverit, utpote deficientes a praescripta norma, omni-

omnino careant firmitate. Nonne haec necessitas, ajo, Capitulum consulendi, ac tanta necessitas, ut re neglecta Constitutiones in irritum cadant, compedes sunt, in quas Episcopalis potestas jurisdictionis, qua supra Presbyteros pollet, ineluctabiliter conjicitur? Quid? nonne leges hujusmodi, statuta isthaec Aërium sapere insulse satis quis pronuntiaverit?

Sed apage has ineptias. Res ita se habet. Ubi prius summa animi conjunctione Episcopis Presbyteria cohaerebant, ubi unum, & indivulsum conflabant corpus, in quo Episcopi capitis, Presbyteri membrorum locum tenebant, ubi summa concordia, consensione summa res gerebatur, optimum visum, ut cum Hieronymo loquar, in communi ab Episcopis, & Presbyteris Ecclesias regi; leges omnes unanimi consensu ferri, communibus, paribusque suffragiis. Cum porro discordia primum, pestifera deinde ambitio sanctissimam, pulcherrimamque societatem discidisset, cum Canonici se se Episcopis immorigeros, ac contumaces praestare coepissent, exemtiones affectare, ac liberiorem vivendi rationem inire, necesse fuit omnino Episcopalem potestatem pristinis vinculis paullo amplius expedire; eaque paucis admodum rebus Capitulorum consensu coërcita, ut latius deinceps, ubi opus esset, excurreret, pati. Ne vero prisca prorsus intercideret disciplina, ejusque vestigia superessent aliqua, ad consultivum votum fuit necessario confugiendum. Et id quidem non lege aliqua peculiari denique statutum, qualis certe non exstat, ait Auctor Operis *Les Pretres juges dans le Conciles avec les Eveques* tom. 2 pag. 246., sed usu potius, ac consuetudine, quam deinceps S. Concilii Congregatio ita probavit, ut religioni ducatur diversum sentire. Ad id igitur res rediit, ut in Synodo suffragium solummodo consultivum Capitulo relictum sit nulla necessitate Episcopis

pis imposita illius amplectendi : praetermissa tamen hac observatione nullius roboris decreta, si quae promulgentur, exsistant. Qua in re illusum potius Capitulis esse videtur : nam quae utilitas consultivi hujusce suffragii, quod impune liceat spernere? Quid tu ad petendum consilium adigis illum, cui liberum est isthoc rejecto in contrarium plane abire? Principes quidem Magnates suos consiliis adhibent, nulla eos necessitate urgente in consiliariorum sententiam. Verum liberum illis est, atque integrum & consilium petere, aeque ac sequi. Non ita Episcopi consilium jubentur petere, & summa libertate rejicere permittuntur. Quid isthuc rei est, nisi aut irrisio, aut inutilis quaedam caeremonia? Ita sane posset imperitis videri. Sed interesse non parum visum est Ecclesiae Episcopos compellere ad Canonicos suos in omnibus consulendos. Nam si, uti opinari par est, sana prorsus, & ad rationis libellam exacta consilia deliberanti Antistiti suo a Capitulo proponantur, incompositi esset, ac pervicacis animi illa respuere; quod de Episcopo suspicari piaculum censemus. Si porro Canonici ab instituto, officioque discedentes, sententiae fortassis Ecclesiae statum, morumque disciplinam interturbanti pertinaciter adhaerescerent, illis intercedendi, atque oppositum plane statuendi libertas nativa Episcopo amplissima fuit relinquenda. Hanc porro disceptationem concludamus verbis doctissimi Gersonis de origine Jur. Consid. XII. qui licet suffragii decisivi in Conciliis minoribus etiam Praelatis afferat, quales sunt Curati, & Hierarchae (erant olim tales Presbyteri omnes) sic suam sententiam egregie temperandam censet: *Dicamus postremo, quod licet ea, quae statim dicta sunt, consonare videantur juri divino, & observationi priorum Conciliorum, & rationi; nihilominus Concilium potest certis de caussis, & ad tempus constituere voces definitivas in pluribus, vel paucioribus,*

Sed

Sed rem nostram agamus, ad quam satis est consultivum saltem suffragium ad Capitula pertinere, Canonicos in omnibus gravioris momenti negotiis ab Episcopis, jure id exigente, esse necessario consulendos; nonne hic prono alveo consecutio fluit, illos oportere tales in consortio, Capituloque habere Canonicos, qui hoc demum tam grandi, tam periculoso munere digne queant, ac laudabiliter defungi! Id certe vidit Tridentina Synodus, quae cum post antiquos Patres, ac Concilia Capitula agnovisset veluti Episcoporum Senatum, atque eorum, uti vocant, Consiliarios natos, eam probitatem, morumque integritatem in iis, eam doctrinae excellentiam exquirit, ut vere Senatorum loco Episcopis sint. Optare ergo se fatetur, ut dimidia saltem Canonicorum pars aut in sacra Theologia, aut in Canonica re Doctoris lauream nacta sit'. Sess. 24. de Ref. cap. 12. Praeiverat Synodus Burdigalensis an. 1624. cap. 9. *Metropolitanam*, ait, *& alias Cathedrales Ecclesias eas personas ita probitate, ac scientia commendatas ad Canonicatus eligere, & assumere, ut ex iis Corpus Capituli coalescens, Senatus Episcoporum, unde consilium accersant, merito dici possit*. Qua in re quid sanctius, quid disciplinae hodiernae etiam accommodatius, quid aeque utile, immo necessarium decerni poterat? Quod is demum facile intelliget, qui minime ignoraverit, quam late pateat muneris hujus Canonicorum humeris impositi amplitudo, quot in quotidiana Ecclesiae procuratione & ardua, & magna, & expeditu difficilia occurrere possint negotia, de quibus sicut eos consulendi Episcopo potestas est; ita iis continuo, si moram forte res non patiatur, respondendi necessitas est injuncta. Quid quod intactum illud adhuc superest ex novissima Tridentini Lege, ut Episcopo ad plures abeunte, Episcopalis solida jurisdictio, atque Ecclesiae gubernatio recta in

in Capitulum pleno jure concurrat ? Nonne hinc facile colliget aequus rerum aestimator summa Canonicos peritia praeditos esse oportere, tali propemodum, qualis in Episcopo desideratur, quandoquidem in illos Episcopalis sarcina transferenda est ? *Si enim*, verba sunt Espenii De Can. Offic. Part. I. cap. 2. §. 3. *non exigua Reip. aut Regno injuria fieri existimaretur, si in Senatum illum, cujus consilio praecipua Regni negotia essent pertractanda, intruderetur persona negotiis Regni tractandis incapax; quanta non erit Ecclesiae facta injuria, si in ejus Senatum intrudantur personae, quae Ecclesiae regendae nullatenus sunt capaces, aut, quod pejus est, si quid industriae, aut capacitatis in ipsis est, potius in Ecclesiae perniciem, quam in ipsius utilitatem convertunt ?* Quin immo & hoc sapientissime a Majoribus constitutum est, ut ad Canonicos, vita perfuncto Episcopo, Pastoralis cura abiret, quippe qui diuturna cum Episcopo consuetudine ad Pastorale munus tam probe informati censendi sunt, ut illis difficile non sit Episcopos agere, manumque ad Ecclesiae clavum admovere citra ullum gregis discrimen.

Perinde ergo est ad rem nostram, sive definitivum, sive consultivum suffragium Canonici habere dicantur. Verum, uti superius indicavimus, non pauca sunt, in quibus a Canonicorum sententia discedere Episcopo, jure id statuente, non liceat. Ne quid porro in hac re desideretur, catalogum dare operae pretium ducimus, & eorum, in quibus decisivum suffragium imperatum est, & eorum, in quibus consultivum tantum requiritur. Decisivum in his, quae sequuntur, locum habet. I. In alienatione rerum Ecclesiasticarum, quae ad Cathedralem pertinent Ecclesiam. *Can. sine exceptione* 53. caus. 62. *quaest.* 2. *cap. ut super* §. finali *de rebus Ecclesiae non alienandis*, Cap. 1. *de his, quae fiunt*,

H &c.

&c. II. In administratione bonorum, ac redituum Ecclesiae, quae, si communia inter Episcopum, ac Capitulum sint, ad utrumque spectat administratio. Cap. *Novit*, *cap. Quanto*, *Cap. ea noscitur*. *De his, quae fiunt a Praelatis sine consensu* &c. III. In suppressione Canonicatuum, ac Beneficiorum, quae etiam legitima favente caussa sine Capituli consensu Episcopo non permittitur. *Cap. cum accessissent* de constitutionib. IV. In adnexione Ecclesiae unius alteri Ecclesiae, seu Dignitati, seu Praebendae, quae sine Capituli consensu Episcopo licere jura non permittunt, *Cap. Tua Nuper*. *De his, quae fiunt, &c. Clement. si una de rebus Ecclesiae non alienandis*. V. Capituli assensus exposcitur, si Ecclesiae auctoritas minueretur. *Cap. Dilecti* 13. *de Majoritate, & Obedientia*. VI. In negotio quolibet, ubi forte Cathedralis Ecclesiae detrimentum timeatur. *Cap. Humilis Doctrina de Majoritate & Obed.* VI. Ut Seminarium in Aedibus Canonicalibus erigatur, quod sane ibi exstrui nequit sine Canonicorum consensu; itaque ab ipsorum Aedibus divisum sit, ut Seminarii alumni cum Canonicis, aut Presbyteris minime communicent. *S. Con. Cong. in Mutinensi 3. Feb. 1604.* VIII. In Canonicorum, qui supernumerarii dicuntur, creatione; quae res sine Capituli consensu non recte ab Episcopo instituitur. Eadem *S. Con. Cong. in Fulginatensi 26. Feb. 1639.* IX. Si velit Episcopus animarum curam, quae integrum Capitulum tangit, uni certae Personae, aut Dignitati perpetuo adnectere, id ei licebit ex Concilio Tridentino, modo Capituli consensus non absit. Eadem S. Con. Cong. *in Compsana 2. Julii 1647.* X. Consensus omnium Canonicorum postulatur in actibus voluntariis, & ubi de Ecclesiae agatur intertrimento; nec majoris partis consensio sufficit: secus, si de actibus necessariis sermo sit, & Ecclesiae utilitatem respiciant. In omnibus hisce per-

perinde est Capituli consensum exposci, ac nullius momenti illa esse, quae ab Episcopo illo abnuente attentantur.

Nunc, quae consilium Capituli exquirant subnectamus. I. Requiritur in Beneficiorum Institutionibus, ac Destitutionibus. Cap. *Novit* saepius memorato *De his, quae fiunt*. II. In Clericorum Ordinationibus. Can. Episcopus sine consilio 6. Distinct. 24. ibi: *Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*. III. In dispensationibus, & confirmationibus. *C. praesentium* 3. *caus.* 1. *quaest.* 5. *cap. quanto de his, quae fiunt &c.* IV. In Inquisitionibus, & Condemnationibus Clericorum, vel Sacerdotum, de quibus latius supra. *Cap. si quid vero* 23. *dist.* 85. *cap. Licet Heli vers. Juxta Canonicas sanctiones de Simonia*. V. In supplicationibus edicendis, dirigendis, atque deducendis Episcopus aget de Capituli consilio. S. R. Cong. *in Elboren*, 28. *Martii* 1628. VI. De eodem Capituli Consilio designet, ac distribuat Episcopus, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex Sacris adnexus in posterum esse debeat Ecclesiarum Cathedralium Canonicatibus, aut Portionibus; ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint; ceteri vero Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint Presbyteri, omnino observetur. Verba sunt Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. VI. Indulgentiae non per alios, quam per Episcopos indicuntur adhibitis duobus de Capitulo. Ex Trident. sess. 21. de Refor. cap. 9. VII. Dioecesana Synodus, antequam indicatur, ac promulgetur, Capituli consilium Episcopo adhibendum est. Cap. *quanto de his, quae fiunt a Praelatis*. *Episcopus enim prudens*, ait Lucius Ferraris Biblioth. Canon. V. Capitulum n. 21. *antequam Synodi decreta promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, ac pietate*

 prae-

praestantibus ; & deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato Consilium exquirere . . . . Quod si Episcopus Constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit , illae profecto , quod ad formam juris non sint exactae , firmitate carent . In hanc sententiam laudat Bened. XIV. de Synod. Dioecesf. lib. 8. cap. 1. VIII. De primo ad ultimum Capituli consilium generatim requiri debet in omnibus arduis Ecclesiae negotiis . *Cap. Novit* . Cap. Quanto . Cap. Pastoralis . De his , quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli . *Ecclesia enim habet Senatum* , pergit idem Ferraris , *seu coetum Presbyterorum , idest Capitulum , sine quorum Consilio Praelato nihil agere licet . Cap. Ecclesia habet Senatum 7. caus. 16. quaest.* 1. Et facit ad hoc Conc. Trid. sess. 24. cap. 12 de Reform. ibi ; *ut merito Ecclesiae Senatus dici possit* .

Haec porro , quae fusiori calamo hactenus deduximus , (tum maxime , cum Capitulorum jura omni ex parte intacta erant , & illaesa) satis luculenter ostendunt , immensam negotiorum molem Canonicorum cervicibus incubuisse. Fiebat inde, ut quemadmodum Episcopi modo laboriosa Dioeceseos administratione distenti a Divinis Officiis, ac Choro, ut plurimum abstinent ; ita & Canonici non plane dissimili cura occupati ad eadem Divina Officia perraro convenientes locum fecerint aliorum Ministrorum institutioni, qui in Ecclesiasticis Horis recitandis , ac Chori functionibus aliis Cathedralium Canonicis suppetias ferrent . Hi sunt , quos variis nominibus Canonistae ditarunt, Portionariorum videlicet, Mansionariorum , Assisiorum , Beneficiatorum, Cappellanorum ; & si vulgato nomine fortassis notiore, licet minus proprio, utendum est, Hebdomadariorum . Sed in eorum originem paullo diligentius inquiramus .

Oratio , praecipua Christianae Religionis tessera , ma-

maximi semper in Ecclesia habita est. Ea etsi divino urgente mandato fidelibus omnibus pernecessaria est, Ecclesiasticis tamen hominibus pro anima, ac spiritu est, qui quemadmodum sanctiorem ex instituto suo prae ceteris vitae rationem inire debent; ita id sine Deo assiduis precibus exorato minime praestare eos posse Fidei dogma est. Et primi quidem Ecclesiae Pastores Apostolorum praeeunte exemplo, qui orationi, ac ministerio verbi instantes erant, utrumque admirabili nexu conjungebant; & Ecclesiarum sollicitudine quotidiana pressi sive in Ecclesia, sive in privato quolibet Oratorio, quo eos persecutionis metus compulisset, una cum Clero, ac Populo frequentissime coibant, divinum hoc munus diurnis, nocturnisque horis persoluturi. Non poterant autem meliores Altissimo offerre sive laudes, sive preces, quam quas Deus ipse in Sacris Litteris homines edocuit, ut ita quadam ratione (cum ex Apostolo nos quid petamus, ignoremus,) Spiritus ipse pro nobis interpellaret. Hinc profluxit Officium illud, verissima nomenclatione Divinum appellatum, e Psalmis, Scripturaeque Sanctae Lectionibus conflatum: cujus recitationem Clericis omnibus, saltem Majoribus, ita praeceptum Ecclesia quovis seculo voluit, ut qui cum ceteris divinis Laudibus decantandis interesse gravi aliqua necessitate prohiberentur, eam privatim nullo modo intermitterent. Quid vero miremur priscam illam Clericorum assiduitatem in Ecclesiastici Officii persolutione, cum constet Laicos homines, immo & Principes ipsos, ac Magnates sive in publicis Templis, sive in domesticis Sacellis Angelico huic muneri operam dedisse non instrenuam? Innumera hujusce moris suppeditat monumenta Ecclesiastica Historia, quibus exscribendis consulto abstinemus memores illius effati, artificem ne in melius quidem aberrare sinas. Illud vero omittere religio est mihi,

 con-

consuevisse olim Nobiles quemdam e servis suis libertate donare, ut in proprio Oratorio Canonicas horas sibi recitaret. Tantus in illis & fidei fervor, & adversus hanc religiosam exercitationem animi studium, ac propensio.

Secutis porro temporibus, sive defervescente caritate, sive negotiorum turbis succrescentibus, quae duo simul conjungebantur olim & assiduitas in Ecclesia divinis laudibus concinendis, & labor in ministerio, separari coeperunt, cum Episcopi, ceterique Animarum Curatores, quales ab initio Canonicos fuisse diximus, alio, ut levius dicamus, avocati, totique in Ecclesiae administratione immersi, Divinam Psalmodiam tantum non deseruerunt. Eoque res isthaec processit, ut quarumdam Ecclesiarum Canonici alienum ab se se munus hoc sibi pessime persuaserint. Illustre corruptelae hujusce exemplum nobis suppetit ex responso Canonici cujusdam apud clarissimum Mazochium in saepius, nec tamen satis laudato Opere de Ecclesia Neap. semper unica. Agebatur quippe de Sacro Ordine singulis Canonicatibus ex Tridentini praescripto adnectendo; habitoque ad id rei Capitulari Conventu, cum singuli Canonicorum suam rogarentur sententiam, quidam eorum sic opinatus est. *Istud nostrum Capitulum est satis ab omnibus Capitulis diversum: & non est aliud Capitulum, uti Nostrum. Unde Sacrum Conc. Tridentinum non poterit intelligi de nostro. Canonici enim nostri non tenentur Ecclesiae servitio... Ut quid Canonicatibus Sacri Ordines sunt adnectendi? Unde sum voti, non esse eisdem Canonicatibus Sacros Ordines adnectendos*. Secundum hanc sententiam non defuerunt alii, qui censuerint. Vide opinamenti monstrum, quasi alio consilio, quam ut Ecclesiae servirent, Canonicatus sint instituti, aut quidquam Ecclesiae possit utilitatis impendere, qui Sacris Ordinibus insignitus non est.

Li-

Licet vero id singulare Neapolitani Capituli privilegium praefatus Canonicus crederet, uti Ecclesiae servitute esset immune : cetera tamen Capitula eamdem sibi libertatem posse vindicare censuerunt. Fiebat inde, ut non sine bonorum offensione Divinorum Officiorum celebratio aut deserta jaceret, aut ad paucos admodum redigeretur. Huic tam gravi incommodo medio aevo obviam iri creditum est, si juniores Clerici complures Capitulis adlegerentur ad divinam Officiorum Sacrorum Psalmodiam celebrandam, cui muneri accommodata prorsus erat illa aetas. Eo tandem res erupit, ait Thomasinus de Benef. part. 1. lib. 3. cap. 10. n. 5. ut duae secernerentur in Capitulis Cathedralibus Canonicorum classes: altera juniorum, qui Ecclesiae psalmodiae manciparentur: altera eorum, qui sacris decorati essent Ordinibus; possentque jam Episcoporum Consiliarii, & Ministri videri. Olfacimus hic quamdam Hebdomadariorum umbram. Clericos animadvertimus juniores concentui Ecclesiastico unice mancipatos; Canonicos, si, ita dicere fas est, minorum gentium; qui Canonici fortassis appellantur ex antiqua Canonicorum notione Clericis omnibus bonis Ecclesiae alitis communi; a veris Canonicis Episcopi Administris, Consiliariisque immane quantum discrepantes.

Sed ista demum Capituli sectio, ac recens invecta Canonicorum distinctio statim displicuit; actumque est, ut in veros Canonicos simul cumularentur & florentissimorum Ecclesiae temporum decora, & ornamenta, cum Presbyteri, Diaconique Cathedrales Senatum, Synodumque perpetuam Episcopi conflarent, & aetatis illius aureae, ubi etiam Divinae Psalmodiae Canonici maxime vacabant, functiones scilicet omnium sanctissimae, aemulaeque caelestium Canticorum. Sed non continuo huic pientissimo consilio obsecundatum est; perrexerunt Canonici Choro frequentes abesse alio occupati. Quamobrem necesse

prorsus fuit genus aliud Ministrorum in Cathedrales fere omnes invehere, a Canonicis longe diversum, iisdem in Choralibus functionibus subditum, ut iisdem in concentu, ceterisque Chori Ministeriis, sicubi abessent, opitularentur. Hujusce institutionis aetatem XIII. exeunte seculo comperimus. Et Romae primum hi novi Canonicorum Ministri prodiere in Basilica S. Petri, institutionem probante Johanne XXI. an. 1277. Bulla ad id expedita, quae refertur in Bullario S. Basilicae Vaticanae. Ibi enim instituti dicuntur hujusmodi Beneficiarii, ut Canonicis in Divinis Officiis persolvendis subsidio essent, cum plena tamen ad ipsos Canonicos subjectione; servitiumque Cathedralis habitum fuit pro titulo Beneficii eorumdem, uti colligere est ex laudata Bulla Johan XXI. & ex altera Nicolai III. an. 1279. Hinc discrimen ortum inter Canonicos Cathedrales, & hos Beneficiarios, quod illis pro titulo est Cathedralis ipsa Ecclesia, cui cardinati sunt: hisce vero ejusdem servitium ab ipsis in illius Choro exhibendum. Ex his plane consequitur, Beneficiarios Capituli nomine minime venire, stallum, ut ajunt, in Choro minime obtinere, neque suffragii jure pollere: non tamen Corpus a Canonicis distinctum conflare; neque ad Collegii formam coire. Adhaerent quippe Canonicis, uti Deservitores Capituli, quae nomenclatura a Canonistis passim usurpatur; quod nolim in eorum contumeliam dictum accipi, sed eo ut eorum ministerium significetur; nam infima etiam ministeria, quaecumque tandem ea sint, in Ecclesia Dei semper maximi habenda sunt.

Ex his, quae huc usque descripta sunt, facile lis illa componi posse videtur, quae paucis abhinc annis Canonicos inter Cathedrales, & Beneficiarios istiusmodi non levi exarsit contentione, ac suprema etiam pervasit Tribunalia, num scilicet Beneficiariis hisce

hisce ad Canonicatus adipiscendos patefaciendus sit aditus in Cathedralibus illis, ubi aut semper, aut fere semper eis fuit interclusus. Equidem nolo illis negotium facessere longissimi temporis praescriptione, quae quoties hominum superet memoriam, validissimum jus conficere non dubitatur. Antiqui enim mores hoc certe ostendunt abs re Ecclesiae non esse hujusmodi homines ad altiorem hunce gradum provehere. Sin minus, aut uno, aut altero saltem tempore, aut unus, aut alter Antistes eorum aliquos altius ascendere jussisset. Contingere enim potest, ut unius, aut alterius lubidine injuria irrogetur: ut vero omnes per longissimam temporis intercapedinem eodem ingenio sint Episcopi, id enim vero nec contigit umquam, nec pro rerum humanarum conditione contingere umquam potest. Nolo itidem litem Beneficiariis eo ex capite intentare, quod decere minime videatur, ut qui deserviendo instituti sunt; ad imperandum continuo arcessantur; quemadmodum indecorum certe existimaretur, si Judicum apparitores in Tribunalibus, statim nullo alio interjecto gradu ad jus dicendum advocarentur. Quae certe ratio fuisse videtur, ut in illustrioribus, ac bene compositis Capitulis haec Ordinis perturbatio minime toleretur. Sed mitto haec omnia. Nam sat scio aliquam partem aequi, bonique me dicturum, nec tria inter nos hic commutanda esse verba. Sane didicimus hactenus, qui fuerint olim Presbyteri, quaenam in Presbyterio munera eorum, jura, ac decora; quosnam Canonicos esse hodiedum oporteat illorum in juribus, ac muneribus successores, qua morum castimonia, qua doctrinae excellentia praeditos, ut a consiliis saltem Episcopis esse queant, & Ecclesiae utilitati, cujus vere Senatus sunt. Id certe inconcussum est; & ad fastidium usque hactenus inculcatum. Si ergo inter Beneficiarios Cathedralis cujuscumque aut pauci, aut plures forte fortuna extiterint,

sint, qui his dotibus ornati Ecclesiae Christi & ornamento, gloriae, & adjumento futuri sperentur; age vero hi ad tam conspicuum Ecclesiae ordinem statim extollantur, evehantur, sublimes ferantur. Plaudent boni eorum provectioni, congaudebunt socii, exultabit populus; ipsi invidi os occludent, conticescent. Quis enim hiscere contra, quis tam justae electioni audeat obtrectare?

Sed vereor, ut persacile sit multos in Beneficiariorum coetu invenire, qui ceteris, (quos in aliorum coetu facilius comperire est) doctrinae praestantia antecellant, iisque aliis ornamentis, quae dignum Canonicum, qualem Ecclesia expetit, constituant. Nam praestantia hic omnino requiritur: scitum quippe ad Beneficia, majora potissimum, digniores esse provehendos. Ut ut igitur demus ex Beneficiariis aliquem sapientiae nomine commendari; non statim Canonicatu dignus erit, nisi aliis praestet Ecclesiasticis viris, qui in aliis classibus in ministerio collaborant. Haec porro praestantia quam rara in saepe laudatis hisce inferioribus Ministris! Satis habent Episcopi, dum eos Sacerdotes inungunt, si sufficienti ad sacrum faciendum scientia polleant, id unum forte curantes, ut canora voce instructi, ac concinendi peritia, quod ferme unum eorum munus est, praediti appareant. Et certe, qui musicae addiscendae operam navant, impares se, & minus idoneos severioribus disciplinis arripiendis experiuntur. Cantus nimirum oblectamentum adeo animum allicit, ac plane comprehendit, ut vix alteri graviori locum relinquat rei. Neque nostrum id est opinamentum, sed sanctissimi, doctissimique Pontificis Gregorii Magni, qui Cantoris munus non dico Presbyteris, sed ipsis Diaconis interdicit, in Subdiaconos illud, aliosque Minores Clericos rejiciens; tum quod pueros, ac juniores Clericos minime dedeceat, ut Dei laudes in Ecclesia suavi cum modu-

dulatione concinant; Diaconum vero aetate, ac dignitate provectum absonum videatur in eo curam, operamque omnem ponere, ut suavissime canat; tum vel maxime, ne concentus studio Diaconi a ministerio verbi, ac pauperum cura, quod longe momentosius est, avocarentur. *In Romana Ecclesia*, inquit lib. 4. epist. 45. *dudum est consuetudo valde reprehensibilis exorta, ut quidam Sacri Altaris Ministri Cantores eligantur, & in Diaconatus Ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad praedicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat .... Qua in re praesenti decreto constituo, ut in hac Sede Sacri Altaris Ministri cantare non debeant, solumque Evangelicae lectionis munus inter Missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero, ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel, si necessitas fuerit, per minores Ordines exhiberi*. Id certe Gregorius statuit, non quod a concentu abhorreret, cum res in Ecclesia fuerit ad ejus usque tempora usurpatissima, & cantum ipsum meliorem jusserit modulationem induere, quae ab ejus nomine Gregoriana nuncupatur; sed quod noluerit altioris Ordinis Ministros levioribus hisce rebus distineri, quae curis gravioribus imparem hominem praestant. Nihil ergo nobis excidit a ratione alienum, cum asseruimus vix posse contingere, ut inter hos Cantores excellens doctrina, ac praestans sapientia, illa ipsa, quae Canonicalibus explendis muneribus par sit, inveniatur. Res est etiam evidentia facti notissima: rimemur, ac diligentissime Collegia illa perscrutemur, ubi ad concentum adolescentes informantur, dispeream si unus, aut alter eorum etiam, qui litteraturae operam dant (nam & ibi etiam in litteris instituuntur), ex quo isthaec condita sunt domicilia, repertus sit adhuc, qui doctrina sibi aliquid nominis compararit. Quibus si addere liceat, quod huic arti se se dedant ii, quibus inops est ingenium, stu-

ſtudiis ſeverioribus ineptum, res omnino conclamata eſt, ac cauſa finita. Si nempe nemo unus eo munere augendus eſt omnino, cujus onera ejus humeri ferre recuſent; cumque luculentiſſime omnes Eccleſiae Canones clament, Canonicos oportere non modo caſtioris vitae ornamento, ſed & ſapientia etiam ceteris Eccleſiae Miniſtris praecellere, conſequitur prorſus, hoc dignitatis gradu prohibendos hodiernos Cathedralium Hebdomadarios, quos adverſus, ne provehantur, & antecepta omnium opinio, & vitae ſtudia, atque inſtitutae rationes acerrime pugnant. Quod ſi contra accidit aliquando, id portenti loco habebimus, ac portenta in rerum uſum quotidianum minime venire apud omnes in comperto eſt.

P A R S III.

Capituli Averſani Conſtitutio, ac Status.

MOrtalium ingratiſſimi cenſeremur, ſi aliarum Eccleſiarum moribus, ac inſtitutis conquirendis, ut operi noſtro ſerviremus occupati, ac fere immerſi, Eccleſiae noſtrae Averſanae, in cujus gremio fauſto omine enutriti ſumus, educatique; conſpicuique illius Capituli, cujus immerentes non infima inſidemus ſede, penitus incurioſi oblivifceremur. Ergo age hac ſuprema laboris noſtri parte utriuſque Conſtitutionem, ac Statum, qua majori fieri poteſt, & diligentia, & brevitate, poſterorum memoriae conſecremus.

Averſa Urbs in feliciori Campaniae ſitu conſtituta a Neapoli Regni Metropoli octo paſſuum mille diſſita, etſi multis nominibus commendanda, aëris ſcilicet ſalubri temperie, ſoli feracitate, civium induſtria, urbanitate, facilitate; eo tamen cum primis nobiliſſima, quod, ſecus ac complures ejuſdem Provinciae Urbes, ſtatim ab ortu ſui Chriſtianis Sa-

cris

cris dedicata est. Nullo idolorum cultu conspurcata, nullis superstionibus commaculata soli vero Deo ab incunabulis consecrata est. Illud etiam in maxima ejus gloria ponendum est, quod parentes habuit Principes illos Northmannos, qui non modo alterius potestati minime subditi has nostras regiones obtinuere; verum etiam imperio longe lateque in Campaniam, Apuliam, Calabriam, aliasque adjacentes Provincias faustis ominibus prolato, Neapolitanae Monarchiae fundamenta jecere.

Raynulphus ergo ex illis Northmannis unus, qui e Neustria Boreali Galliarum plaga spe melioris fortunae illecti paternis laribus valere jussis se se in Italiam contulere, a Sergio Neapolitano Duce, quem contra Pandulphum Capuae Comitem strenue juverat, impetrato agro, in Regione ad Octavum dicta, urbem statuit, quam Aversam, vel Adversam potius nominatam voluit, quod eo consilio posita fuerit, ut adversus Campani hostis impetum pro munimento foret, anno, ut melior fert supputatio, tricesimo supra millesimum. Quanta porro Religione, ac pietate adversus Deum hi novi Dynastae fuerint, cum unanimi consensione confitentur Historici; tum ex monumentis illustribus, quae nondum publicam lucem aspexerunt, pronum est colligere. Hic igitur, quem memoravimus, Raynulphus Urbis parens, ac Fundator tantum non moenia absolvit; cum de Ecclesia Matre construenda, Ministris arcessendis, iisque largo censu ditandis cum primis cogitavit. Res est nulli obnoxia dubitationi: constat enim ex Diplomate Jordanis II. an. 1121. Raynulphum hunc primum Aversae Comitem complura speciosissima praedia in Ecclesiam S. Paulli Aversanam, ejusque Clerum regali plane munificentia contulisse: quam sane largitionem Jordanus ipse ratam esse jussit his verbis, quae referuntur in Regio alio Diplomate Caroli II. in Regesto signato an.

1298.

1298. & 1299. lit. A. eamdem concessionem exscribente, ac confirmante. *Nostrae saluti providentes*, verba sunt Jordanis, *in perpetuum concedimus, & confirmamus Aversanae S. Paulli Apostoli Ecclesiae quidquid ei a tempore Raynulphi I. Aversanorum Comitis concessum vel ab ipso, vel a successoribus suis Radulpho Drancanotto, Ricardo Principe Avo, & Jordane Principe Patre Nostro, Ricardo, & Roberto Principibus Fratribus Nostris, & omnibus ejusdem loci Baronibus cum licentia Comitum, vel Principum, concessum, aut concedendum est: ita ut nullus ejus Ecclesiae Episcopum, aut Clericos in Beneficiorum subtractione, quae possident, vel possessuri sunt, inquietare praesumat*. Et ecce tibi, quam belle ex hoc Diplomate prima prodeunt Capituli nostri elementa. Sane singulare quiddam huic nostro accidit, quod nescio an alteri uspiam Capitulo contigerit, ut ante Caput enascerentur membra. Certe Raynulphi tempore videmus Aversae Ecclesiam, & Clerum, quam laudatus Comes donatione auget locupletissima. At nullus ibi adhuc Episcopus; qui tum demum Aversanis datus est, cum eam Cathedram recens statutam primus ascendit Azolinus á Leone IX. consecratus an. 1050. tribus post Raynulphi obitum annis. Namque is denatus est an. 1047. Solum ergo Presbyterium toto illo viginti ad minus annorum intervallo Pastoralem curam Neophytae Ecclesiae istius gerebat. Sat scio in Longas ambages nos conjectum iri, si moveatur quaestio, a quonam hi novi Pastores missionem suam mutuati fuerint. Non certe ab Antistite Atellano; jam enim Atella funditus erat eversa; cum constans sit Scriptorum assertio Adversam Urbem solo aequatae Atellae successisse: non a Campano, prorsus enim inverosimile est, Raynulphum Capuanis infensum, qui in officio continendis novam Urbem erexerat, quique a Sergio in eamdem invidiae societatem pertra-

tractus fuerat, passum esse, uti Sacerdotes novae Ecclesiae regendae Capua Adversam adventarent. Restat, quod vero propius videri posset fortasse, Neapoli hos Presbyteros huc demum commigrasse. Sergio Neapolitano Duci Raynulphus & amicitia, & propinquitate junctus agrum urbi aedificandae ab eo impetrat; agrum, ut nonnulli autumant, Neapolitanae ditionis, ut ex Castello quodam eo loci sito ad Neapolitanos pertinente constare ajunt. Haec omnia suadere videntur, Neapolitanis Presbyteris ad novam regendam Ecclesiam Raynulphum usum esse. Sed quominus huic opinioni adquiescamus illud facit, quod si a Neapolitana Cathedra Aversana Ecclesia, tamquam a fonte rivulus profluxisset, illi certe fuisset subdita; neque huic novus Episcopus dari potuisset, quin Ecclesiae Matris jura convellerentur, aut si id incommodum minime in censum venisset, saltem Cathedrae principalis Aversana Ecclesia evasisset suffraganea. At Aversana Ecclesia, Callixto II. teste Bulla peculiari, cujus initium, *Ex Fratrum* sui semper juris exstitit, nulli alii Cathedrae subjecta praeter Romanam. Ibi: *ab ipso fere sui principio Aversana Ecclesia Romanae adhaesit Ecclesiae, unde Rom. sibi Ecclesia eam tamquam specialem filiam specialiter vindicavit*. Neque enim veri speciem habet, Rom. Pontificem Neapolitani Antistitis jura conculcasse, ut Aversanam Ecclesiam alienae obedientiae vinculo prius absolutam suae Cathedrae peculiariter addiceret. Igitur transigendae rei hanc puto ineundam esse rationem, ut dicamus, Raynulphum cum Pontifice Rom. agentem, ut Ecclesiae abs se fundatae primus Episcopus destinaretur, dum res in deliberatione erat, obtinuisse interim, ut per Presbyteros, quos fortasse in comitatu habebat suo (neque enim a vero abhorret pro religione sua plures expeditionum comites adhibuisse) administraretur. Utcumque tamen id negotii se se ha-

habuerit, compertam habemus ante Episcopatum ipsum Presbyterii Aversani constitutionem; & quidem Pastorali cura decorati, ita ut peculiari prorsus exemplo Principi Senatus praeiverit.

Hi ergo Aversani Presbyteri fuere & Parochi, & Canonici. Sic nempe temporum illorum disciplina ferebat, cum nondum a Beneficiis Ordo, & Animarum Cura fuisset ablegata, quod demum Seculo XII. contigisse parte 2. docuimus. Et mihi quidem prisca rerum nostrarum monumenta rimanti videtur vetus Capituli nostri Ordinator praecipuas prae oculis Ecclesias habuisse, Romanam scilicet, ac Neapolitanam. Et de Romana quidem satis exploratum est, primum illius Presbyterium, sive, si ita loqui fas sit, Canonicos, nonnisi Presbyteros, ac Diaconos Cardinales fuisse, idest titulis quemque suis affixos, quos veros Parochos appellaveris animarum cura oneratos. Neapolitana itidem Ecclesia non alios primitivos agnovit Canonicos, nisi XIV. illos a B. Athanasio Seculo IX. institutos Presbyteros simul, ac Diaconos Urbicis Ecclesiis, sive Diaconiis cardinatos; Presbyteros quidem Paroeciis Praepositos, & pauperum curam gerentes Diaconos. Ex quo recte colligit Mazochius, primitivorum Neap. Sedis Canonicorum Collegium nihil revera aliud fuisse, quam meram Parochorum Urbis collectionem, idque ex titulis, quibus singuli illorum insigniuntur, fieri manifestum: in quo, subdit, praecipua Canonicorum nostratium praerogativa vertitur, quae Nostros hoc Neapoli fuisse docet, quod Romae S. R. E. Cardinales, quorum scilicet originem si excutias, eos veros Rom. Ecclesiae Parochos ab initio fuisse reperies. Illud interest nostros inter, ac Neapolitanos, quod Aversae Presbyteri, non Diaconi; at Neapoli uterque Ordo conjunctim in Canonicorum album relatus est: cujus rei illa potest verissima proferri ratio; quod Diaconi Cardinales nonnisi in

ma-

majoribus Urbibus, quemadmodum Diaconiae ipsae instituti. Quare angustiori oppido Aversa, utroque implendo muneri soli pares habiti sunt Presbyteri. Hos vero nostros Presbyteros, sive primaevos Canonicos veri nominis Parochos fuisse ne dubita: hoc nempe nomine diserte nuncupantur laudato superius Jordanis Diplomate, etsi pro temporum illorum barbarie paullisper inflexo. Nimirum cum Linternini lacus donationem, rerumque aliarum, quas longum esset exscribere, confirmasset; vetuit, ne quis in Linternino agro castrum, aut munitionem aliquam erigeret; si contra factum esset, fas esse voluit Roberto Episcopo, ejusque successoribus, omnibusque suis Parochis illud funditus demoliri: *Quod si aliquis*, verba sunt Diplomatis, *infra praedicta duo milliaria, Castrum, vel munitionem, seu firmitatem aliquam factam habuerit, vel fecerit, sive etiam incipere praesumserit; praedictae Ecclesiae, & Domino memorato Roberto Venerabili Episcopo, ejusque Successoribus, omnibusque suis Paroczianis potestatem, & licentiam concedimus funditus evertendi*. Qui erunt, amabo, hi Cathedralis Ecclesiae Parochi, nisi primitivi Canonici, quos ex illius aevi disciplina animarum Curatores, sive Parochos fuisse ostendimus?

Eorum numerum primo illo institutionis tempore vetustis destituti monumentis (Tabularium nempe Capitulare cum Urbe tota conflagrasse indubitatum est jubente Rogerio an. 1134.) definire non possumus. At anno 1331. duodecim fuisse comperimus ex quadam permutationis pagina, ubi his notis designantur: *Congregatio, sive duodecim Presbyteri destinati ad celebrandum in Altari Majori Ecclesiae Majoris Aversanae*. Num vero hic numerus quatuor etiam Dignitates complecteretur, certum non habeo dicere. Nam etsi a Constitutione Capituli Dignitates hujuscemodi exstitisse reperimus; notum tamen est ex Canonistis, Dignitates non esse de Capitulo,

 nisi

nisi in eodem Canonicatus obtineant. Is porro memoratus numerus non eo spectat, ut eo temporis articulo duodecim tantum fuisse Canonicos nobis credi velimus; sensim nempe numero succrevere; & immensum succrevere, ut inferius ostendetur; sed ut definiamus illos primigenios fuisse, ac Digniores Canonicos. Et horum alterum quidem satis, puto, hactenus demonstratum est; alterum vero tum ex dictis patet, nam animarum cura decoratos probavimus; tum vel maxime, quod ad sacra facienda in Ara majori Ecclesiae Matris destinati erant. Id porro quantae dignitatis foret, operae pretium est innuere. Et quidem Episcoporum munus erat peculiare sanctissimum Redemtionis mysterium publice offerre. Iis alio avocatis, potioribus, dignioribusque Presbyteris deferri illud moris erat. Et Romae quidem jam ante Stephanum IV. aliter III. Hebdomadarii instituti sunt Missis publice celebrandis. Qui vero illi? Episcopi certe Cardinales. *Hic statuit, ut omni Dominico die a septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant Missarum solemnia, super Altare B. Petri celebraretur, & Gloria in Excelsis Deo diceretur*. In antiquo Rituali Libro Romano apud Baronium an. 1057. haec invenies: *Haec* (Lateranensis Ecclesia Salvatoris) *habet septem Cardinales Episcopos, hosque dictos Episcopos Collaterales, itemque Hebdomadarios; eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis. Erant hi Episcopus Ostiensis, Episcopus Portuensis &c.* Hinc Petrus Damiani II. Epist. I. *Ecclesia Lateranensis, sicut Salvatoris est insignita vocabulo; septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud Altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare*. Est quod advertas Romae non Presbyteros, sed Episcopos Cardinales vice Pontificis in celebranda Missa perfungi: quod hi Presbyteris sine contro-

troversia sint digniores. Neapoli vero, & hic Aversae, quia huic muneri Episcopi destinari minime potuere; digniores Presbyteri cum animarum cura huic operi peragendo praefecti sunt. Neapoli sane septem Presbyteri Hebdomadarii, qui B. Athanasium ejus Urbis Antistitem parentem appellant; de quo sic in ejus vita n. 14. *Hic itaque zelo fretus divino constituit Sacerdotes Hebdomadarios in Ecclesia Domini Salvatoris, quae Stephania vocatur, qui in eadem continuis diebus publicam Missam celebrarent; sicut mos est Ecclesiae Romanae*. Aversae duodecim memorati Presbyteri ab Altari Majori nuncupati. Nonne hinc ad Romanae, ac Neapolitanae Ecclesiae imaginem primaevum nostrum Capitulum expressum fuisse affirmes?

Et de praecipua quidem nostratium horum duodecim dignitate evidentius adhuc tibi constabit, si animum adverteris; quod cum nescio quo fato secutis temporibus ad portiones octo hi tituli evaserint, nonnisi Dignitatibus quatuor, ac quatuor Canonicis honestioribus conferri solerent conjunctim cum animarum cura, Missasque Conventuales canendi. Quod Pontificio oraculo demum inconcusse firmatum est, cum in perpetuum Dignitatibus Portionum harum quatuor adnexae sunt; duae vero Canonicis Theologo, ac Poenitentiario attributae: suppressae duae reliquae, & Sacrario, ejusque oneribus sustinendis corporatae, imposita sex priorum humeris animarum procuratione, Missarumque canendarum onere. Adi sis Clementis VIII. Bullam rogante Bernardino Morra Antistite Romae datam an. 1601.. Ex novissima porro Benedicti XIV. Constitutione animarum cura sex illis Praebendatis injuncta in Vicarium Curatum perpetuum conversa est, cum posset antea ad nutum amoveri, jussis tamen illis hunc pro viribus in tanto munere juvare.

Non in duodecim solis memoratis diu stetit Ca-

nonicorum numerus; sed in immensam, uti dicebamus, adolevit segetem. Id, quomodo contigerit, libet paullo accuratius deducere. Nullus dubito, quin nostrates Canonici a primis initiis in communis vitae societatem coierint. Consonant tempora, quibus in universis ferme Capitulis mos receptus fuerat, Seculum nempe XI. jam adultum. Sed suppetunt & nobis alia rei indicia, ac minime dubia in vernis nostris chartis. Memoravimus supra Jordanis, seu potius a Raynulpho profectam, atque a Jordano firmatam donationem praediorum locupletissimam in Episcopum simul, ejusque Clericos collatam; demus nunc ejus concepta verba: *Ita ut nullus ejus Ecclesiae Episcopum, vel Clericos in Beneficiorum subtractione, quae possident, vel possessuri sunt, inquietare praesumat: Ecclesias scilicet omnes cum omnibus suis pertinentiis, decimas, terras cultas, vel incultas, cum montibus, & planitiis, cum sylvis, aquis, piscationibus, cum omnibus superioribus, & inferioribus earum; quin etiam hominibus* (adscriptitios intellige, quales olim Subcivii Pagi incolae fuisse memorantur, in Episcopi Aversani ditione) *cum omnibus eorum rebus ad persolvendum praedictae Ecclesiae.* Et ne quis posset impune vitilitigare, res indicatas affirmans partim ad Aversanum Episcopum, partim ad Clerum seorsum pertinere, statim subjicit; *Concedimus etiam, & confirmamus Castrum Patriae cum toto territorio suo, & toto Lucrino lacu, & piscationibus, & fusariis, & aedificiis, & cryptis, &c.* Certe vides Castrum Patriae, ac Lacum Episcopo, & Clero suo conjunctim cessisse, quaepostea dissociata communione in Episcopi unius potestatem cecidere. Non levem etiam hujusce communionis conjecturam suppeditant vetera, quae passim occurrunt, *Donationum instrumenta* hisce verborum conceptionibus: *Ecclesiae S. Paulli Aversae, cui praeest Dominus Episcopus NN. dono.* Cur quae

quaeso, nomen illud collectivum Ecclesiae hic usurpatum, nisi ut argumento esset cum Episcopo universos Ecclesiae Ministros accipiendos esse? cui conjecturae non modicum pondus accedet, eo quod secutis temporibus communi fortasse vita deserta donationes in Episcopum singularem; & in singularem Congregationem B. Paulli Apostoli collatae leguntur suppresso Episcopi nomine. Nolo mihi fidem adhiberi, donec idoneis testibus rem evicero. Anno 1097. sic eloquitur Robertus Ranulfi Comitis Filius: *Robertus divina ordinante clementia... Rannulfi Comitis Filius ...... concedit Ecclesiae B. Paulli Adversani, ubi Domnus Johannes Venerabilis Episcopus praeest, omnes Ecclesias illas ...* Anno 1143. Episcopi unius donationem accipientis mentio occurrit: *Symon de Sora unus ex Baronibus Aversae, per admonitionem, quam recepit a Domino tertio Joanne Episcopo Aversano, donat ei quamdam petiam Terrae*. Ecclesia itidem separatim prodit innumeris in donationum chartis, quas, infiniti essemus, si huc transferre vellemus. Sed & alio utar argumento. A quodam Philippo Bactoso Gerardi Filio mutuas auri uncias 135. petierat Petrus Episcopus, pro qua pecunia hypotheace nomine lacum Lucrini, sive Aquam Patriae, Bajulationem Villae Subcivii, & Castrum Latinae nexui tradiderat. Sed quo pertinet illud, quod persoluta demum pecunia, creditor non Episcopum solum; sed ipsum quoque Capitulum absolvit? Illuc, nisi fallor, quod memorata praedia non ad Episcopi mensam tantum; sed ad Capitulum quoque spectarent. *Concernentia mensae Episcopalis n. 38. Apud Major.* Verum diu est, ex quo a memorata communione Episcopum inter & Capitulum recessum est; & istud jacuisset, nisi privati homines pro sua pietate fundos in ipsum contulissent, quibus ejus constat dos universa. Hinc illud recte videmur posse statuere, ad medium fere XII.

I 3 Se-

Seculum coepisse Episcopum, ac Canonicos nostros, cum primo conjunctim egisent, seorsum rationes suas instituere; ac distinctionem mensam inter Episcopalem, ac Capitularem inolevisse; quas tamen disertis verbis memoratas anno demum 1217. comperimus. Tunc quippe Paschasius quidam de Alenzone Aversanus renunciat Episcopali mensae Aversanae, & Domino Basuyno ejus Episcopo omne jus, & actionem, &c.

Cum porro e primitivis angustiis evasisset Aversa Urbs, coepissetque civium frequentia locupletari, Clericos ipsos Ecclesiae Ministros frequentioribus civibus praefuturos augeri necesse fuit. Hi primaevos Canonicos communem viventes vitam cum animadvertissent, insigni exemplo pellecti sunt, ut in Congregationem ipsi quoque coalescerent. Vigebat quippe eo Seculo consuetudo isthaec, ut in omnibus Matricibus Ecclesiis Clericorum Congregationes instituerentur. Imo, quod magis mirere, in agrestibus etiam Paroeciis. Emeritense enim Concilium Can. 18. Pastoribus his mandatum voluit, ut quos possent juniores alerent Clericos pro modo facultatum suae Ecclesiae, ut eorum opera, ac ministerio Divina Officia celebrarentur. Confer Thomass. de Benef. part. 1. Lib. 2. cap. 76. Moris originem inde arcessit Cl. Mazochius, quod aevo sequiore Monachorum vita passim fuerit in Ecclesias invecta, Clericique instituta quaedam a Monachis hausta coeperint usurpare (veluti pullum vestium colorem, qui antea Clericis sive candidus, sive castaneus, aut violaceus esset), ac ipsa etiam vocabula non pauca indidem profecta. Nam hoc ipsum Congregationis nomen a Monachis petitum, hisce Clericis pro tessera fuit: eorum nempe Monachorum corpora, atque compages Congregationis nomine appellatas ab omnis aevi Scriptoribus res notior est, quam quae probari indigeat. Hinc Cathedralibus in Ecclesiis duo

duo conflata corpora, Canonicorum scilicet, & Confratrum Clericorum: illa constanti vocabulo Collegia dicta, haec Congregationes. Quid quod ipsum Fratrum, sive Confratrum nomen a Monachis profluxit? Nam etsi olim omnes Christifideles Fratrum nomine gloriabantur; ubi tamen haec nomenclatio vulgo obsolevit, a solis Monachis tenacissime retenta est. Itaque apud Graecos Αδελφοτης (*Fraternitas*) totam Monachorum Familiam uni Hegumeno subjectam notabat. Hoc ipso sensu vox apud Latinos recepta; nam Liberatus cap. XI. sic habet: *Tale Euthyches reddidit responsum, hoc apud se esse decretum, ut numquam egrederetur a sua Fraternitate, sed tamquam in sepulchro degeret in Monasterio.* Haec igitur post millesimum Christi annum facies Matricum Ecclesiarum, ac maxime Cathedralium, in quibus duo personarum Ecclesiasticarum nomina audimus, Canonicos scilicet, & Confratres; Clericos nempe in Congregatione communis vitae nodo obstrictos. Et de Neapolitana Ecclesia, adi, si vacat, laudatum Mazochium Part. 2. cap. 3. saepe memorati operis, ubi disertissimis productis monumentis, praeter Cathedralem, in quatuor Matricibus Neapolitanis Ecclesiis Beneficiorum, seu personarum Ecclesiasticarum recensionem describit ejusmodi, ut in earum quavis praeter Rectorem, aut si quae aliae occurrunt peculiaris nominis personae, definitus sit quidam Confratrum numerus cum redituum, ac proventuum eis competentium, itemque munerum descriptione; cujusmodi sunt, Divinis interesse Officiis, pariterque Exsequiis. Alii Sacristiae deserviunt, alii Campanas pulsant, & cetera peragunt, quibus facto opus est. De Aversana Cathedrali vero, etsi confitemur rem esse subobscuriorem; si quis tamen superius dicta illi accommodare voluerit, quovis deposito pignore contendere posse affirmamus idem plane institutum obtinuisse. Nam praeterquam quod millies

in publicis Tabularii nostri monumentis Congregationis Divi Paulli, vel Ecclesiae Majoris mentio occurrit, luculentissima Fratrum, & Canonicorum distinctio conspiciendam se praebet. Ut alia brevitati consulentes silentio praetereamus, unum satis sit proferre Instrumentum Anni scilicet 1142. *Ibi donat Litulsus Canonicus Ecclesiae S. Paulli Congregationi dictae Ecclesiae quasdam agri portiones praesente venerando Patre, & Domino Tertio Janne Aversanae Sedis Episcopo, cum plerisque Fratribus, & Canonicis*. Quid, quaeso, evidentius desiderabimus, ut in eadem Matrice Aversana Congregationem scilicet, & Collegium fuisse agnoscamus, illam Clericorum Congregationi inscriptorum, qui Fratrum vocabulo veniebant; hoc Canonicorum a Congregatione memorata immane quantum dissimile? Huc facit etiam, quod Scripturae aliae & Congregationis, & Capituli, veluti duorum Corporum diversorum clarissimam mentionem habent. Summaria Instrumentorum producam, quae in Tabulario custodiuntur. Anno 1133. *Pro eo quod Capitulum Ecclesiae Majoris Aversanae*, &c. An. 1368. *Capitulum Ecclesiae Majoris Aversanae*. An. 1379. *Capitulum Majoris Ecclesiae Aversanae*. Anno 1380. *Congregatio Majoris Ecclesiae Aversanae*, &c. An. 1416. *Congregatio Majoris Ecclesiae Aversanae*. An. 1419. Idem habetur initium. Anno iterum 1441. *Capitulum Majoris Ecclesiae Aversanae*. Quis non deprehendet duo haec diversa esse corpora distinctis vocabulis indigitata in eadem Majori Aversana Ecclesia collecta?

Et hi quidem Congregationis Fratres Clerici uno inclusi domicilio vitam duxisse videntur. Nam superat adhuc an. 1226. Domus, & Palatium memoratae Congregationis. Nimirum eo prorsus anno Thomas de Nigra Aversanus offert praedictae Congregationi annuum reditum tarenorum quatuor Amal-

malphiae super parte Apothecarum, quam habet non longe a Cathedrali Ecclesia. Sic porro earum fines describuntur: *quibus ab Oriente est finis coemeterium ejusdem Ecclesiae, a meridie, & occidente Domus, & Palatium Congregationis ejusdem*. Inhabitationis hoc fuisse Domicilium inde patet, quod antonomastice dicitur Domus, & Palatium Congregationis ejusdem, cum constet domus multas, ac palatia ad Congregationem eamdem pertinuisse ab eadem sub annuo Canone censui supposita; ut ex innumeris Instrumentorum paginis nostri Tabularii. Constat iterum domicilium illud supra memoratum, domicilium habitationis fuisse. I. Quod solerent Clerici non Cathedralium modo, sed etiam Paroecialium ministerio mancipati simul in vicinia habitare, ut sicubi opus poposcisset, continuo praesto essent. An. quippe 1259. Johannes Cutinus Aversanus Aedium suarum partem Cappellanis Ecclesiae Paroecialis S. Crucis habitandam concessit. Apud Majoranum tit. Donationum Dom. n. 29. II. Aedificia alia itidem majora possidebat eadem Congregatio in ipso Ecclesiae S. Paulli ambitu. Nam an. 1385. Johannes Acomarius Aversanus memoratae Congregationi donatas voluit quasdam suas hereditarias domos *Palatiatas* juxta *Palatium* ipsius Congregationis ab Oriente. Si hoc posterius Aedificium habitationis domicilium non fuisset, non dictum esset *justa Palatium κατ' ἐξοχήν*, sed *juxta aliud Palatium* ejusdem Congregationis. Adisis eumdem Major. tit. Don. Domorum n. 39. III. Domus nonnullae ejusdem Congreg. non quidem inhabitationis, sed dominii, ab inquilinis designantur. Sic an. 1268. memoratur domus quaedam Cong. S. Paulli intra ejusdem Ecclesiae fines, *quam tenet heres Domini Johannis Cantoris ejusdem Ecclesiae*. Aliud documentum, & satis sit. Ann. 1235. Jacobus Hugolinus vendit Philippo Scutario quamdam suam domum in

in Parochia S. Paulli non longe ab ipsa Ecclesia, *cui fines a meridie Domus Congregationis S. Paulli, quam tenet Contus Adierni ; ab Occidente Palatium ejusdem Congregationis*. Nonne hic in oculos incurrit domus aliis locata, ac Palatium proprio usui destinatum? Apud eumdem Major. tit. Cens. Burgen. n. 98, & Tit. donat. Dom. n. 21.

Sed perdiu non fuit, cum collectitii Clerici isti Confratres propriis non contenti terminis majorem gradum affectare coeperunt. Non defuit eorum votis Canonicorum temporis illius humanitas, ne dicam potius effusa facilitas, qui eos perbenigne ad sedem, sive stallum, & ad suffragia admisere solo Canonicorum nomine pernegato. Hinc duo evenere : primum illud, quod Nostratium Collegium in quatuor Ordines dispescitum fuerit; distinctique sint in Primo-stallos, Secundo, Tertio, ac Quarto-stallos : secundum, quod harum Personarum collectio, primo saltem institutionis aevo, non Collegium (quod vox Canonicorum coetui designando nata est ; nam Capituli nomen serius aliquanto audiri coepit) sed Congregatio fuerit appellata. Accessit aliud non leve incommodum, Canonicorum scilicet, qui in immensum excreverant, numerus, ita ut iis alendis tenuissimi Ecclesiae reditus pares omnino esse nequirent. Quamobrem Jacobus Carafa Episcopus Aversanus suo consentiente Capitulo an. 1449. exuberantem hunc compescuit numerum, ac Canonicos omnes octodecim in posterum esse jussit, quo numero quatuor etiam Dignitates, Decanum nempe, Praecentorem, Archidiaconum, ac Succentorem inclusas voluit; ac primi, ac secundi stalli Ministris ablegatis, duodecim tantum in Quarto stallo retineri, decemque alios in tertio stallo ; ita ut hi omnes cum Canonicis solidum quadragenarium numerum conflarent. Vacantes porro Dignitates Capituli Canonicis creatis jam, non creandis conferendas decre-

vit

vit. Fortasse, nisi id divinare sit, hoc demum tempore Dignitates de Capitulo esse incepere, cum in eo Canonici nomen, ac reditus nactae sint.

Res ita stetit ad usque Tridentini praeceptum, quo singulis Canonicatibus e Sacris Ordinibus aliquis illigandus jubetur. Tunc nempe decreto huic obsequens Petrus Ursinus Aversanorum Antistes cum Capituli sui assensu, quod octodecim memorati Canonici Presbyteri ad unum essent, duodecim enumeratos Ministros in Quarto Stallo ad Canonicatus non tam honorem quem habebant, quam nomen provexit; eorumque singulis Hypodiaconatus, vel Diaconatus Ordinem innexuit. Exhausto hoc modo Beneficiariorum numero (nam de Tertio-stallis quid omnino contigerit nullibi apparet) Episcopus idem Petrus Ursinus An. 1597. annuente Clemente VIII. duodecim Beneficiariis novis Cathedralem Ecclesiam auxit, qui ita Capitulo deservirent; sibique choralia munia imposita obirent, ut vocem tamen in Capitulo minime potirentur. Ii sunt, quos Nostrates sub vulgatissimo Hebdomadariorum nomine agnoscunt. His porro quatuor alii accessere an. 1724. instituente Angelo Ranerio Canonico Succentore supremis Tabulis suis, quibus cavit, ut e Clericis Civitatis, vel suburbiorum uno, ac viginti annis non minoribus, ab Episcopo nominationem, & institutionem nanciscerentur. Pro coronide duos alios adjunctos voluit Nicolaus de Rosa Decanus an. 1730. Capitulumque ipsum ad eorum electionem arcessivit; quae sic est instituenda, ut Dignitates ad quamlibet vacationem unum nominent, alterum Presbyteri, alterum Canonici Diaconi, ac Subdiaconi, Episcopus digniorem electum instituat. His octodecim, si Canonicos triginta adnumeres, totum prodibit Capitulum octo, ac quadraginta Ministris conflatum; qui numerus sacris functionibus cum decore simul, ac majestate obeundis nemo erit fortasse, cui non sufficiens videatur.

Et

Et hactenus Conſtitutionem, ac Statum Averſani Capituli breviter, qua tamen potuimus accuratione, declaravimus. Illud ad exitum operi jam properanti reliquum eſt, ut Capituli ipſius dignitatem, decus, atque inſignia exponamus. Et licet fortaſſe noſtra commendare nobis dedeceat; ea tamen commemorabimus, quae oculos ipſos laceſſunt, eaque moderatione, ut nullus jactantiae factus eſſe locus videatur. Et principio quidem, quoniam Capitulum ad corporis inſtar effictum eſt, cui Epiſcopus capitis loco eſt, membrorum loco Canonici, Dignitas certe, & excellentia Praeſulum, qui huic Eccleſiae praefuerunt, ad Capitulum ipſum amplificandum magnifice facit. Unus itaque & ſexaginta Epiſcopi, qui longo ſeptem Seculorum decurſu Cathedram hanc inprimis conſpicuam occuparunt, ſi unum, aut alterum numero expungas, quos intruſionis crimen labefactavit, veluti Fridericum quemdam, Averſa ab Pontificis obedientia deficiente, minus legitime creatum, & Nicolaum Epiſcopum Lucerinum huc a Pſeudo-Pontifice Clemente VII. praeter fas intruſum: ceteri omnes ad unum pietate, doctrina, rerum uſu, ac ſanguine nobiliſſimi. Ex his duodecim ſacra Rom. Eccleſiae purpura condecorati, inter quos Aloyſius ab Aragonia regia ſtirpe progenitus, utpote Ferdinandi Neapolitani Regis Nepos; & Innicus Caracciolus omnium poſtremus, cujus famam, atque egregie facta nulla obliterabit aetas, quique adhuc vivere, atque anima ſpirare videtur in tot ſuperſtitibus ab ſe editis pietatis, Religionis, ac magnificentiae monumentis. Neque praetermittendus eſſet Franciſcus de Tuſo e Theatina Regularium Clericorum Familia huic Eccleſiae regendae admotus, virtuteſque animi illius non vulgares eſſent commemorandae, ſapientia inprimis, comitas, in hocce Capitulum ſuum amor, & effuſa beneficentia, hujus augendi, & ornandi ſtudium

dium singulare: sed modestiae ejus omnino parcendum est, omniaque injuriosa oblivione obtegenda, ut gratiam ab eo ineamus.

Ad ipsum ergo Capitulum stilum potius convertamus. Neque hic illa percensebo, quae ei cum Capitulis aliis communia sunt; nempe, quo tempore eligendi Episcopi Capitulis facultas erat, ea Canonicos nostros usos fuisse. Sic nimirum electi sunt Adam de Bingo Ambianensis Dioecesis a Johanne XXI. confirmatus an. 1276. ex Reg. Vaticano, Petrus de Bolonnesio Canonicus Belluacensis, confirmatus a Clemente V. an. 1309. ex eod. Vat. Regestu, Bartholomaeus Patracensis Archidiaconus, qui in Aversanis chartis electus legitur an. 1337. Johannes Ecclesiae S. Nicolai Barensis Cantor a Capitulo postulatus, ac confirmatus an. 1340. ut ex eod. Regestu. Qua in re prudentia nostratium suspicienda videtur; qui in alienigenas homines suffragia sua contulerunt; ne intestinis turbis, ac factionibus aditus pateret, si in indigenas proclives se se praebuissent. Illud etiam praetereo, Canonicos nostros a Clemente VIII. an. 1594. Cappa Magna, quam vocant, violacei coloris cum Rocheto honestatos fuisse. Sed non committam, ut quae praerogativam sapiunt quamdam peculiarem, indicta relinquam. Hoc nempe inprimis, quod Feudali jure homines sibi obstrictos habuerit. Prostat in hanc rem pervetus scriptura in nostro Tabulario, ubi Simon cognomine Sclavius, habitator Aversae Civitatis, se, & alios antecessores suos fuisse homines confitetur Congregationis Ecclesiae S. Pauli: & proinde praestat hominii juramentum ad faciendam, & percipiendam justitiam, dominium ejusdem Congregationis semper recognoscendo, pro quo debeat annuatim reddere ipsi Congregationi tarenum unum Amalphiae Kalendis Majis. Pertinet monumentum ad an. 1223. Apud Major. tit. census Burgensatici. Huc etiam spe-

ſpectat, quod Rom. Pontifices, ac Reges noſtri adverſus hocce Capitulum ſe ſe perliberales probavere. Ab his poſtremis jus nundinarum profectum eſt, quo ad haec uſque tempora Capitulum potitur plena cum dicendi juris poteſtate, id concedentibus Ferdinando Siciliae Rege, Carolo V. & noviſſime Carolo Borbonio. Exſtant praeterea & alia hujus poſtremi munificentiſſimi Principis in Averſanum Capitulum praeclariſſima beneficentiae argumenta. Cum enim ſubacto victricibus armis Regno, Averſae paullisper ſubſideret, donec Neapolim ingreſſuro triumphi pompa adpararetur, Canonicorum noſtrorum precibus benigne inclinatus a Clemente XII. tunc Rom. Pontifice impetravit, uti noſtris liceret alternis hebdomadis ad Divina celebranda Officia convenire, cum antea oporteret per novem integros menſes ex Tridentino adeſſe. Sed illud inprimis ſingulare beneficium, neque tum, niſi Metropolitanis Eccleſiis concedi ſolitum, quod eodem Pontifice indulgente obtinuit, Averſanis ut Canonicis fas eſſet Mitra, ceteriſque Pontificalibus indumentis, dum ſacra facerent, uti, inſtar Canonicorum Capuae, ac Beneventi. Quod perhonorificum ſane privilegium, cum neſcio quo fato compluſculos annos neglectum jacuiſſet, Capituli ſui ſtudioſiſſimus, ac peramantiſſimus Antiſtes Franciſcus Tufius excitavit; eoque ſuffragatore, & opus perurgente non ſine Principis venia anno demum 1789. Capitulum Pontificalia primum induit inſignia.

Illa vero Capituli Averſani inſignia glorioſiora, ac maximi facienda, quae ex animi virtutibus, Religione inprimis, ac doctrina proficiſcuntur. Quibus in rebus abſit verbo invidia, nulli alii conceſſiſſe, aut adhuc concedere, affirmare tuto poſſe videmur. Et hic quidem ſatis eſſet ad publicam opinionem provocare, quam noſtris plus aequo fortaſſis favere in comperto eſt; ſed ne nos ἀσύμβολοι ſimus

ſimus, duo tantum aut tres temporibus noſtris viciniores, commemorabimus, Archidiaconum ſcilicet Michaëlem Archangelum Patricellium, Hieronymum Serao, ac Dominicum Planeſium. Et quidem primi duo ad omnem eruditionem efformati, & primi ſubſellii viris, inprimis Cl. Alexio Symmacho Mazochio Neapolitanae Eccleſiae Canonico, amicitia conjuncti, bonas Muſas in Averſanum Seminarium intulere: poſtremus hic ſubacti judicii Theologus (quo Magiſtro purioris Theologiae lac hauſiſſe gloriamur) qui vir eſſet, apud cultiores Romanos Theologos, doctiſſimo aeque ac elegantiſſimo edito libello, cui titulus: *Methodus verae Religionis inveſtigandae*, ſe ſe prodidit. Et hi ſane jamdudum vitam cum morte commutarunt: *qui porro de illis nati ſunt*, utar verbis Eccleſ. cap. 44. *reliquerunt nomen narrandi laudes eorum*; ſed quoniam illuſtrandae huic Eccleſiae Deus illos ſoſpites, incolumeſque ſervat, & ſervet quidem quam diutiſſime, vereor, ne illorum modeſtiae vim afferam importune, ſi in publicum eorum merita proferantur. Unum mihi certe elabi non ſinam, quo utor familiariſſime, quique mihi hujus qualiſcumque ſcriptionis edendae & adjutor, & auctor fuit, Canonicum nempe Joſephum Cirillo acerrimi ingenii virum, in indagandis praeſertim reconditae antiquitatis penetralibus, ac cimeliis ſolertiſſimum, ut venatici canis illum merito cognomine appellare ſoleam. Is cum in Theologicis rebus aeque etiam polleat, & incenſo tuendae ſacroſanctae Religionis ſtudio teneatur, paucis ab hinc annis diſertiſſimam, ac ſolidiſſimam confutationem adornavit adverſus impiam Volterii Incredulorum Patriarchae fabulam, *il Maometto*: qua data occaſione, illum undique oppugnaturus, adverſus varios illius circa Principatus jura errores tam ſapienter invehitur, ut ſimul & ſanam doctrinam conſtituat, & ejus ſcurriles cavil-

la-

lationes potius, quam ratiocinationes funditus convellat. Cui operi & Romae & Neapoli, & in Regni Provinciis primi Ordinis eruditi plausere. Parcet mihi amicissimus homo, si suis fortasse ingratiis hic ei gratificatus sum; illudque secum reputet, etiam tacente me rem ipsam per se loqui. Illud ad extremum Deum Optimum Maximum enixis precibus comprecor, uti hujusce Ecclesiae Pastoribus mentem bonam injiciat, quo viros ejusmodi florentissimo huic nostro Canonicorum Collegio adlegere pergant, qui acceptam satis amplam a Majoribus gloriam non tueantur modo, sed nova semper in posterum cumulent accessione.

FINIS.


ERRATA CORRIGE

Pag. 9. v. 19. Corinthiorum Cerinthianorum

APPENDIX
DE SPIRITUALI
ECCLESIAE POLITIA.

K

LECTORI BENEVOLO.



Um nonnulla in ſuperiori Opella leviuſcule, quantum ſcilicet inſtituti mei ratio tunc poſtulabat, delibata potius, quam pertractata ſint, placere animadverti duobus amiciſſimis, atque eruditiſſimis Viris Antonio Succentori Pagnano, & Vincentio Moccia Archidiacono, quorum altero in humanioribus litteris Praeceptore doctiſſimo uſus ſum; alteri ſummo Theologo ab condiſcipulatu intime conſuevi

. . . . quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit
devinctior alter,

placere; inquam, animadverti, ut fuſius aliquanto, ac veluti data opera dilucidius recenſerentur. Iis ergo indulgendum omnino duxi; cur non & obſequendum, quando illis ſummum in

me, meaque omnia imperium libenter permitto? Hanc igitur in ipforum fpem gratiae Appendiculam adornavi: eo cupidius, quod in eam nonnulla de meo contuli feria meditatione expromta, quae ejufmodi rerum peritis improbatum non iri confido. Tu interim, amice Lector, fi quid habes melius benignus imperti; fin minus, his utere mecum.

APPENDIX

DE SPIRITUALI ECCLESIAE POLITIA.

UNiversas inter hominum Societates nobilior nulla unquam esse potuit, ac ne excogitari quidem Divina Societate illa, quam Unigenitus Dei Filius, Verbum illud Patris, per quod facta sunt omnia, postquam in Terris visus est, & cum hominibus conversatus, sibi adscivit, & in unum secum Mysticum Corpus, cui ipse Caput esse dignatus est, coalescere voluit. Haec nimirum illa est Catholica Ecclesia, quam dilexit, pro qua seipsum tradidit, quam acquisivit sanguine suo, quam lavit, quam mundavit, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. Haec illa est Ecclesia, quam ad omnem sanctitatem caelesti doctrina sua informavit, quam sanctissimis legibus communivit, quam ipse per se in diebus carnis unus, ac verus Summus Pontifex, verusque Animarum nostrarum Episcopus gubernavit. Sed quoniam consummato opere, quod dedit illi Pater, ut faceret, oportebat, ut transiret de hoc Mundo, & ad illum pergeret, unde exivit, intraturus in gloriam suam; fieri omnino non potuit, quin alios vice sua praeficeret Ecclesiae Pastores, Doctores, Evangelistas in opus ministerii, in consummationem Sanctorum. Eo consilio sibi Discipulos aggregavit. Ex his duodecim elegit, quos Apostolos nominavit. Unum ceteris unitatis munimentum futurum praeposuit, Simonem Petrum, supra quem se Ecclesiam aedificaturum suam pollicitus est, eique Caelorum Claves traditurum, ut quodcumque solvisset in Terra, & in Caelis solutum esset, & ligatum, quodcumque ligasset.

Id certe significavit, atque hunc Primatum luculenter ostendit, cum uni Petro, Caelorum Claves & promisit, & tempore suo concredidit. Non quod aliis etiam Apostolis hujusmodi claves minime tradiderit, id est ligandi, & solvendi potestatem illis verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo, & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in Caelo*. Matth. XVIII. (quemadmodum omnes veteres Auctores docent): Sed quod non easdem Claves habuerint, quas Petrus, quasque habuerunt, Catholici vere quidem, sed alio sensu Claves appellarunt. Solus ergo Petrus eas Claves habuit, quibus ita aperiretur, ut nemo clauderet: ita clauderetur, ut nemo aperiret. Sicut in domo, etiamsi aut omnes, aut multi suas habeant claves, solus tamen Dominus & domus omnes & secretas habet, quibus, cum vult, ita claudit, ut nemo aperire; ita aperit, ut nemo possit claudere. Sic egregie Mald. in hunc locum commentatur, ut inde diversitas innotescat potestatis, qua ceteris Apostolis longe Petrus antecellit; ut alia interim omittamus argumenta rem eamdem invicte probantia, sive ex ipsis Sacris Literis, sive e Traditione petita: sunt enim notiora, quam quae hic vel leviter attingi oporteat.

Nunquam vero solemnius insaniunt Heterodoxi, quam cum privilegia haec, amplissimas hasce potestates nec Petri, nec Apostolorum personas egredi, neque ad successores transmitti serio pronuntiant. Nam quis sibi unquam persuadeat, Reges Regni sui Magistratus, ac Praefecturas instituentes, personis potius, quas potestate augent, gratificari velle, quam publicis commodis servire? Quid porro sapientia sua dignum fecisset Christus Dominus; immo quid ea magis indignum, quam si mystici aedificii, quod aeternum permanere volebat, super mortalem hominem fundamenta jecisset; aut domus, quam nullis tem-

temporum injuriis patere decreverat, uni perituro homini claves tradidisset? His rationum momentis satis per se firmis, atque inconcussis tota concinit Antiquitas. Sit ergo ratum hereditario hic agi jure, ac quidquid est, institutae potestatis, ex ipsa vi institutionis, ad successores permeare.

Verum non eadem plane ratione & Petro & ceteris Apostolis succeditur. Id modo diligentius inquirendum, ac disertius explicandum. Et sane Veterum monumenta legenti dubium esse minime poterit, quin inter Apostolos fuerit honoris, ac potestatis consortium, nullo inter ipsos Apostolatus ratione intercedente discrimine. Omnes quippe ea aucti dignitate sunt, ut Evangelium per orbem universum disseminarent, ut Mysteriorum sibi creditorum testes essent in omni Judaea, ac Samaria, & usque ad ultimum terrae, ut Populos erudirent, Ecclesias fundarent, iisque regendis Episcopos praeficerent. Nulla igitur Petri praerogativa prae ceteris Apostolis in iis elucet, quae Apostolico muneri cohaerent, sive in fundandis, sive in Ecclesiis regendis, sive in Pastoribus iis praeficiendis, sive in immorigeris Ecclesiastica censura coërcendis, uti loquitur Tertullianus. Quid ergo proprium Petri? Num quod ceteros Apostolos posset pro facta sibi potestate compescere, si ob officio deflexissent, sicuti ei praeceptum fuerat; *Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos?* Sed Apostoli singulari gratiae privilegio ἀναμάρτητοι effecti a Petri jurisdictione hac in parte eximebantur. Quale ergo Petri jus eximium, quod alii revereri, ac colere debuerint?

Duabus quidem in rebus Primatus Majestas, ac singularis Dignitas sita erat. Primo, quod ceteri Apostoli communionis necessitate tenebantur, ut Petro tanquam Capiti cohaerescerent; nec ipsi solum, sed & Ecclesiae omnes, quas per Provincias instituerent, quas eidem communionis necessitati subjicerent, ut

in Petro Primatum & potestatis, & jurisdictionis agnoscerent, & venerarentur. Haec nimirum necessitas a Christo ipso fuerat sancita, cum claves singulari ratione, ceteris Apostolis audientibus, soli Petro tradidit, ut supra docuimus, ac super Petrum, ceu fundamentum, Ecclesiae aedificium impositurum promisit. Quamobrem, si Ecclesia, Cypriano definiente, grex est suo Pastori cohaerens, ac plebs Sacerdoti coadunata, nullus coetus, nulla Ecclesia legitima, si a supremi Pastoris communione secesserit. Soliditatem, firmitatemque aeternam Ecclesiae Christus pollicitus est, sed illi soli, quae super Petrum, solidissimam petram illam, aedificata est. Secundo in eo aliis Apostolis praestat Petrus, in eo singularis illius praerogativa, quod ad illum graviores caussae, si quae forte alio modo finiri non possent, ad eum discutiendae, ac terminandae tanquam ad totius Collegii Principem per ceteros Apostolos essent referendae.. Quod statim sub ipsa praedicati Evangelii initia fecerunt, cum de oborta Legalium controversia Petrum in ultimo judicio consuluere, posteris insigne relinquentes exemplum subjectionis, quae Ecclesiae Capiti debebatur. Merito igitur S. Leo, *in pari Apostolorum Dignitate discretionem fuisse* asserit *potestatis*; in necessitate communionis, & in majorum caussarum suprema cognitione repositam.

Neque id immerito a Christo Domino constitutum. Nimirum, ut ait Hieronymus, non aliter schismati, ac dissensionibus, quae forte oborirentur, obviam iri poterat, nisi uno Capite, unitatis totius centro constituto, ac Monarchici regiminis forma; *propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio. Hier. lib. contra Jovin.*. His ita statutis illud necessario consequitur, Petri jus, ac privilegium, totum quantum est, reale fuisse ad successores necessario transmittendum: quippe uni-

unitatis custodes, & communionis centrum erant futuri. Reliquorum vero Apostolorum privilegia mixta potius exstitisse, partim realia, partim singulares ipsorum personas spectantia. Nimirum Apostoli vel ut singulares personae accipiuntur, vel ut unum Corpus, sive Collegium una cum Capite suo compingentes. Priore acceptione potestatem suam illam, sive jurisdictionem, quam a Christo habuere, indefinitam, nullisque terminis circumscriptam, ad successores utique minime transmisere. Altera vero notione in totum Episcoporum Collegium Capiti suo adhaerens transfudere, plenissimam, absolutissimamque numeris omnibus jurisdictionem. Romanus itaque Pontifex, qui jure Divino in Primatu Petro succedit, & universum Pastorum Corpus Pontifici communione conjunctum isthaec illimitata, incircumscriptaque sive Petri, sive Apostolorum jura potiuntur. Ceteri Episcopi seorsum spectati circumscripta, definitaque suarum Dioecescon jurisdictione concluduntur, Apostolis, non qua Apostolis, sed qua Episcopis succedentes; nisi si quid aliud extrema Ecclesiae necessitas suaserit, uti de Eusebio Samosateno, & Vercellensi memoriae proditum est per varias Orientis Provincias excurrentibus, uti Catholicis in immani illa Arianorum perturbatione afflictis succurrerent, Catholicosque Episcopos ordinarent. Potestas Clavium nempe Ecclesiae concessa est in augmentum, ac Fidelium aedificationem; neque a vero abludit primos Episcopos fines sibi ab Apostolis praescriptos fuisse praetergressos, quoties urgens necessitas id exposceret, cum nempe vel finitimi populi in fide edoceri, nostrisque mysteriis initiari exposcerent; neque in Provinciis Apostoli praesto essent, qui novam Ecclesiam ibi constituerent; vel Fidei subveniendum esset, Pastoribus, vel absentibus, vel ab officio decedentibus.

Hinc porro & illud consequitur, ad solum Romanum

num Pontificem, & ad Oecumenica Concilia pertinere Episcopatus novos erigere, veteres vel dissecare, vel conjungere, quorum nimirum incircumscripta est jurisdictio. Nam cum nemo in alium plus juris transferre possit, quam ipse habet, evidens est, Episcoporum neminem (si seorsum spectentur) quantavis fulgeat dignitate, sive Primas sit, sive Exarchus, sive Metropolita, quorum in loco quopiam definita est jurisdictio, posse illam in Episcopum loci transferre, ubi nihil ipsi est jurisdictionis. Id quod obtinet etiam in Episcopatuum vel sectionibus, vel conjunctionibus. Nimirum non potest pars alteri accedere, quin alteri decedat. Non potest autem decedere, nisi renuntiante illo, qui obtinet. Renuntiare autem non potest, nisi integro Episcopatui; jus quippe sacrum illud individuum est: & vel totum abrenunciandum, vel totum successori servandum, vel potius illi, a quo constitutum est primo, integrum restituendum. Non potest iterum alteri accedere; nam pars illa, qua se Episcopus abdicaverit, in manus illius statim recidet, a quo primo profecta est. Simile quid de usufructu Civilia statuunt jura, cui si fructuarius cesserit, in alium transferri nequit, sed Proprietario accrescit, ac proprietati consolidatur. Atque hinc etiam evincitur, non posse Episcopatum unum ita discindi, ut duo inde emergant. Nam tritum est illud: *per quas caussas quid nascitur, per easdem dissolvitur*. Omnino igitur illa ipsa incircumscripta jurisdictione opus est ad discissionem, quae ad primam erectionem, ac Dioeceseon partitionem necessaria fuit.

Multa satis novi ex veteri disciplina posse exempla opponi, cum Episcopatus novi constituebantur in Synodo Provinciali de Metropolitae, ac Provincialium Episcoporum sententia, Episcopo illo consentiente, si cujus fortasse pars Dioeceseos decurtaretur. Nec deerunt in Ecclesiae monumentis Episco-

pi

pi, qui id sibi sumserint, ut novos Episcopatus erexerint, ibique Episcopos praefecerint. Qua in re consuli poterit eruditissimus Thomass. de Nova, ac veteri Ecclesiae Discipl.

Verumtamen hisce omnibus reponi potest, id sibi permisisse Apostolorum suppares Apostolicos viros, Apostolicarum Sedium Heredes (Metropoliticae tunc Sedes *Sedis Apostolicae* nomine donabantur: obtinebatque Metropolitanus quispiam partem ac delibationem aliquam eximiae illius potestatis, quam Christus Petro contulit in ceteros Apostolos, hoc est in Episcopos; *ut extra conscientiam Sedis Apostolicae, hoc est Primatis nemo audeat ordinare. Syricius PP. epist.* 4. *cap.* 2.) qui effusiore potestate praediti illud sibi licere putaverunt, quod ab Apostolis viderant factitatum. Id Ecclesia non modo non improbavit, sed lege quadam sanxit in Synodo Constantinop. Missiones in Barbaricas regiones, idest extra Rom. Imperii terminos, illis Episcopis cum erigendorum Episcopatuum facultate reservans, qui Thronos haberent illis provinciis viciniores. Ea de causa Alexandrinus Episcopus Aethiopiae consulebat, Antiochenus Indiarum Ecclesiis, Caesariensis in Cappadocia Majoris Armeniae Ecclesias ordinabat, quod jus deinde post subjectam Constantinopolitanae Sedi Caesaream in illam devolutum est. Romanus jure Patriarchico Occidentis quoque Provincias in Barbarico constitutas curabat, quamvis jure Primatus omnibus consulere posset, saltem negligentibus officium suum ceteris Patriarchis. Petrus de Marca Differt. de discrimine Laicorum, & Clericorum §. 9.

Et sane cura haec praecipue Rom. Pontificem totius jurisdictionis fontem, ac principium potissimum tangebat. Ab hujus nempe Throno, tanquam a regali quodam flumine in totum terrarum orbem ceu rivuli Episcopatus ferme omnes profluxere

re. Ab Rom. Ecclesia ad omnes Mundi plagas regale Sacerdotium cum caelesti potestate prima origine permeavit. De Orientali Ecclesia testem do Agapetum Pontificem, qui datis ad Episcopum Hierosolymitanum literis de Menna, quem Constantinopoli ordinaverat, haec habet: *Ut illis ipse similis esse videatur, quos ex his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit*. Insinuatur his aperte verbis, ait Thomas. *De Benef. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 56. a Petro Romae sedente ordinatos, missosque in Orientem Episcopos, qui Ecclesiarum fundamenta ubivis terrarum jacerent. Quis Africae Ecclesias primus fundaverit, docebit Gregorius Magnus Dominico Episcopo Carthaginensi rescribens: *Scientes, unde in Africanis partibus Ordinatio Sacerdotalis exordium sumserit, laudabiliter agitis, quod Sedem Apostolicam diligendo, ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis, & probabili in ejus affectum constantia permanetis*. *Lib.* 7. *epist.* 32. Non poterat clarius exprimi originem in Africa Episcopalis Officii ab Rom. Sede profluxisse. Britannis Episcopos Apostolica item Sedes cum Religione Christiana concessit teste Venerabili Beda *Lib.* 1. *cap.* 4. his verbis: *Lucius Britanniorum Rex misit ad Eleutherium Papam epistolam, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur*. Hibernis conterminis Evangelii lux affulsit primo per Patritium Sanctissimum Gentis illius Apostolum facta a Caelestino PP. ejus nominis primo Christianae veritatis praedicandae, Ecclesiarum fundandarum, & statuendorum Episcopatuum facultate. In Angliam iterum instaurandis deperditis pene Christianae Religionis reliquiis Augustinum illum misit Gregorius M., qui ab eodem venerabili Beda nationis illius Apostolus nuncupatur: *quo ex principio tanquam ex fonte Episcopatus in eam omnis emanavit*. *Lib.* 2. *cap.* 20. Subdit deinde *lib.* 2. *cap.* 8. Augustinum

num, dum viveret, sibi successorem Laurentium designasse, *ne se defuncto status Ecclesiae tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet*. Laurentium Mellitus, Mellitum Justus excepit: data sibi ordinandi Episcopos auctoritate a Pontifice Bonifacio. Ad Scotos Religio cum Episcopatu pervenit Caelestini itidem I. opera, de quo S. Prosper: *Ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam*. *S. Prosper adversus Collat.* Idest Pelagianos Anglia, Idololatras Scotia exturbavit. Et ne latius evagemur, Galliae ipsae non alii, quam Rom. Petri Cathedrae & Evangelii beneficium, & Evangelii Ministros, & Episcopatus debent, ut Gregorius Turonensis disertissime testatur; *De gloria Confess. cap.* 30. qui ex gestis B. Saturnini asserit, missum esse Gratianum Turonem, Trophimum Arelatem, Narbonem Paullum, Parisios Dionysium, Saturninum Tolosam, Stremonium in Averniam, ac Martialem Lemovicum: *per S. Stremonium, qui & ipse a Rom. Episcopis cum Gratiano Episcopo, & reliquis, quos memoravimus, directus est*. Post quae subjicit Thomass. *laud. loco*: *Hoc rursus erga fidem, & Ecclesiam Rom. primo, secundo, tertioque seculo factum in Gallia, & Hispania, quod sexto, septimoque in Germania, & Anglia. Neque aberraveris forsan a vero, si putes ita primis seculis constitutos Episcopatus, uti fuere, quos instituere missus a Papa Bonifacius Villibrordus*, (de quo statim) *Augustinus*, (de quo supra) *Corbinianus*, *qui omnes in Ecclesia Rom. originem, & auctoritatem hauserint suam, & singularem cum ea conjunctionem semper, & concordiam servaverint*.

Sed prioribus quinque seculis satis perraro Pontificii assensus in argumento, de quo disputamus, mentio occurrit, tum quod gradatim Ecclesiae disci-

pli-

plina perpolita fuerit; tum quod tacita quaedam consensio satis habita fuerit, quam minime defuisse inde colligitur, quod novos institutos Episcopos ubique terrarum ad sui communionem acceperint tunc temporis Rom. Pontifices. Antiquissimi hujusce moris, petendae & accipiendae communionis, testem accipe Hormisdam PP. Epist. ad Epiph. Patriarcham Constantinop. eum accusantem, morem pristinum fuisse neglectum, *quia ..... plenum fraternitatis pacis id postulabat officium, praesertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, te, Frater Carissime, Legatos ad Apostolicam Sedem inter ipsa tui Pontificatus initia destinasse, ut, quem tibi debemus, affectum bene cognosceres, & vetustae consuetudinis formam rite compleres*. Epist. 75. In Collect. Concil. Labbè Tom. 5. pag. 665. Verum ab V. sursum seculo expressi consensus Apostolicae Sedis in novis instituendis Episcopatibus, vel secandis iis, vel aggregandis diserta mentio est apud illorum temporum scriptores. Et certe Leo I. Canoni 28 Chalcedonensi, quem nonnulli seorsum convenientes Episcopi suo Constantinopolitano Patriarchae assentaturi procudere, quoque veterum Patriarchalium Sedium series, & ordo interturbabatur, acriter restitit, & irritum fore decrevit. Medardus Veromanduorum Episcopus an. 531. eversa ab Infidelibus Urbe, veritus alias hujusmodi deinceps irruptiones Noviodunum Sedem transtulit suam. Anno mox 532. Eleutherio e vivis abeunte Tornacensi idem Medardus praeficitur Ecclesiae: quo ex tempore Episcopatus hi duo in unum postea coaluere. Conjunctio haec, ait vitae illius conscriptor Surius die 8. Junii, facta est, *Pontificali, Metropolitani, & Comprovincialium auctoritate, Regis*, (nam & Regiae etiam hic partes sunt), *ac Procerum assensu, plebis adclamatione*. Agebatur per idem tempus, ut

ut Meladuni in Gallia novus Episcopus crearetur, decerpta e Senonensi Archiepiscopatu ea Civitate, fortiter intercessit Leo eo tempore Senonensium Archiepiscopus, interminatus, si sibi vis afferretur, sua abstenturum se communione, tum qui ordinaverint, tum qui ordinatus foret: *Nam gloria vestra* (Childerico rescribit) *optime debet & credere, & scire, quia si contra statuta Canonum quicunque Episcoporum sine consensu nostro Meloduni Episcopum voluerit ordinare, usque ad Papae notitiam, vel Synodalem audientiam, tam hi, qui ordinaverint, quam qui ordinatus fuerit, a nostra erunt communione disjuncti. Concil. Gallic. tom. 1. pag.* 258. Discimus hinc ex Canonum statutis ad Episcopatus dissectionem Pontificis Rom. in primis, mox Synodi, illius deinde Episcopi, cujus jurisdictio decurtatur, omnino postulari. A Sergio Pontifice in Frisiam Villibrordus ablegatus est, ubi Ultrajectensem Episcopatum fundavit Rom. Sedi immediate subjectum. Apud Saxones efferatis moribus Gentem Evangelium disseminaturus a Gregorio II. missionem accepit S. Bonifacius, literisque suis Carolo Regis Francorum Palatii Majori commendatus. A Gregorio III. nomen Archiepiscopi adeptus est, potestatemque Episcopos ordinandi. Mox a Zacharia, qui Gregorio successit, flagitavit Bonifacius, ut Episcopatus tres a se constitutos confirmaret: *haec tria loca*, inquit, *propria auctoritate, & Charta Apostolatus vestri roborari, ac confirmari postulamus, ut per auctoritatem, & praeceptum S. Petri, jussionibus Apostolicis fundatae, & stabilitae sint tres in Germania Episcopales Sedes*. Et ne infiniti simus, hoc argumentum concludat ex S. Malachia depromptum testimonium, qui, uti scribit S. Bernardus, cum Apostolico abreptus aestu in alienas Dioeceses excurreret liberius, ut animas Christo lucrifaceret scrupulo mox morderi coepit, quod suo demum inge-

genio, nulla ad id Apostolica fretus Auctoritate aggredi ausus esset, & quamvis signa, ac prodigia, quae per eum divina operabatur virtus, a Deo institutam a se rationem probari testarentur; non conquievit tamen, nisi sese universalis, ac summae Sedis delegatione, ac potestate muniret: *Ipse interdum ibat, & exibat seminare semen suum disponens, & decernens de rebus Ecclesiasticis tota auctoritate tanquam Apostolus unus. Et nemo illi dicebat: In qua potestate hoc facis? Videntibus cunctis signa, & prodigia, quae faciebat. Et quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Visum tamen sibi non tute satis actitari ista absque Sedis Apostolicae auctoritate. Bernard. in vita S. Malch.*

Amplissimam hanc, effusissimam, solisque Orbis terrarum finibus conclusam jurisdictionem, qualem modo praeter alias res exseri vidimus in Episcopatuum erectionibus, discissionibus, vel conjunctionibus, qualemque disertissimis verbis expressit Bernardus *de Consid. ad Eugenium*: *Sunt & alii Caeli janitores, gregumque Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius nomen hereditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor*; immediate a Christo in Rom. Pontifices derivari, completam omnino, a nullo, & in nulla re perficiendam, Catholicorum omnium sententia est. Eaque in ipsis perpetua est, & inalienabilis, dum verus, indubiusque Pontifex quis perseveraverit, ut duo propterea rerum casus excipias, quorum alter nec contigit unquam, & certo certius confidimus fore ut nunquam contingat, si Pontifex nimirum a fide deficiat: tunc nempe omni Primatu excidet, & jurisdictione in Ecclesiam. Alter semel evenit aliquando pessimo Christianae Reipubl. malo, cum Seculo XIV. diro schismate dilacerata est Ecclesia, eo quod e tribus Pontificibus, quorum singuli

guli se verum Petri successorem jactabant, discerni certo nequibat, quis illorum indubius esset, Opus ergo omnino fuit, ut Ecclesia in Concilio Oecumenico Constantiensi legitime convocata pro potestate sibi a Christo in his rerum περιστασει facta omnes deponeret, verumque, & indubium Pontificem eligeret; uti revera factum est, datusque Ecclesiae Catholicae legitimus Pontifex Martinus V.

De Episcopis porro num & ipsi immediate jurisdictionem a Christo mutuentur, minime expedita res est. Et quidem a veritate longo satis intervallo aberrat Cardinalis Turrecremata *lib. de Ecclesiae cap.* 54. Apostolos ipsos affirmans, non a Christo Domino, sed a Petro jurisdictionem accepisse, cui opinioni aperte repugnat Scriptura: Paullus enim se constitutum Apostolum affirmat, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, *ad Galat*. Christus Jesus ipse per se Discipulos vocavit, & duodecim ex his elegit, quos & Apostolos nominavit *Luc. VI.*, quibus ipse per se itidem missionem impertitus est. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Joh. XX.* Quamobrem merito hanc sententiam oppugnat Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pontifice cap.* 23.

Sed ipse Rom. Pontificem immediate a Christo autumat jurisdictionem accepisse, ceteros vero Episcopos per Rom. Pontificem accipere; idque duabus de rationibus; primo, quia non posset aliter Ecclesiae unitas consistere ac Primatus Rom. Pontificis; nulla enim dependentia ipsi copularentur: secundo, quia illimitata foret Episcoporum jurisdictio, ei similis, qua pollebant Apostoli; possentque illam in toto terrarum Orbe explicare.

Sed hae rationes tanti non sunt, ut consensum extorqueant. Ex iis enim, quae superius exposuimus, Apostolos constat immediate a Christo jurisdictionem habuisse, & tamen unitati illigatos ex ne-

cessitate communionis cum Petro, & subjectionis erga Caput totius Ecclesiae, Quidni Episcopi dici possunt immediate a Christo jurisdictione instructi, & ad Ecclesiae unitatem adigi ejusdem vinculo subjectionis erga Petri successorem? Neque incircumscripta foret Episcoporum jurisdictio, si eam immediate a Christo accipiant. Nempe Apostoli, quibus ipsi succedunt, ne perturbaretur Hierarchicus Ordo, ac confusio oriretur, si omnes Episcopi omnia possent ubique, merito limites praescripserunt Episcopis, quos non Apostolatus, sed Episcopatus sui successores relinquebant Ecclesiis, quas fundaverant. Jurisdictio enim illimitata, uti superius diximus, non in Episcopos, uti singulos, sed in totum Episcoporum Collegium, id est in Concil. Oecumenicum permeavit. Haec ergo Concilia, quae totam exhibent Ecclesiam, quaeque immediate a Christo omnem habent jurisdictionem, eam vel ampliant, vel coërcent in Episcopis, prout Ecclesiae regimen postulaverit.

Neque hinc illud aliud timendum est incommodum, ne si Episcoporum jurisdictio a Christo immediate proficisci dicatur, isthaec nec limitari, nec circumscribi possit omnino, quemadmodum potestas Ordinis, quae immediate a Christo est, non potest ita suspendi, ut invalide Episcopus ea utatur, quod pari modo accideret in potestate jurisdictionis, si a Christo esset immediate; nempe ea quomodolibet aut limitata aut definita, validus semper, etsi non licitus, esset actus ab illa profectus. Nimirum latissimum hac in re discrimen intercedit inter Ordinis, ac jurisdictionis potestatem. Illa siquidem in se absolutum quiddam est, neque ad subditos ullo puncto refertur, ac potest sine illis constare. Quamobrem Episcopus suspensus, aut depositus, valide quidem, sin minus licite Confirmationis, aut Ordinis conferet Sacramenta. Ista necessario ad subditos re-

fertur: nam necessario principatum includit, qui sine subditis nullus erit. Sed potest Ecclesia subditos illi aut concedere, aut adimere. Potest ergo illi jurisdictionem aut negare, aut largiri, aut amplificare, aut circumscribere.

Disjectis hisce difficultatum obicibus tutius constabit sententia Francisci Victoria *praelect.* 2. *de potest. Ecclesiae qu.* 2. *Alphonsi de Castro de justa Haeretic. punit.* ac plurimorum Parisiensium Theologorum, Episcopos asserentium immediate a Christo jurisdictionis potestatem accipere. Quae quidem sententia, cum Patres illos ipsos vades habeat, quorum testimoniis utuntur Theologi ad Rom. Pontificis jurisdictionem probandam a Christo immediate derivatam, nempe quia Rom. Pontifex Petro succedit, ut Episcopi ceteri aliis Apostolis, hac argumentatione rem plane conficiet. Non alia de causa Rom. Pontifex suae appellat Christum Dominum jurisdictionis auctorem immediatum, nisi quia Petro succedit, qui illam a Christo immediate accepit. Sed & Episcopi Apostolorum sunt successores. Pari ergo ratione a Christo immediate jurisdictionem accepisse dicendi sunt.

Superest modo, ut de Presbyteris, qui secundum in Hierarchia locum obtinent, disseramus, utrum scilicet & ipsis aliquid jurisdictionis conveniat, quam immediate Christo Domino referant acceptam. Et quidem duplicem in Presbyteris potestatem distinguit Theologorum turba, Ordinis alteram, alteram Jurisdictionis. Primam una cum Sacramento Ordinis in sui inauguratione accipit Sacerdos, eaque in confectione Corporis, & Sanguinis Domini sita est, ac in peccatis dimittendis; secunda per legitimam vocationem, sive missionem illi ab Ecclesia confertur. Et recte quidem, nam duplicem hanc potestatem ad ministrandum in primis Poenitentiae Sacramentum necessariam, disertis verbis exprimit *Trid. Sess.* 14.

 Cap.

Cap. 7. Quoniam igitur natura, ac ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, seu subdelegatam non habet jurisdictionem. En Jurisdictionis potestas, sed ecce tibi statim Ordinis potestatem. *Sess. 23. Cap. 15. de Reform. Quamvis Presbyteri in sui Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit, &c.*

Hisce tamen Decretis debita cum reverentia, ac submissione exceptis, agnoscendum tamen est in Presbyterali Charactere jurisdictionis nonnihil, quae ipsi Characteri sit imbibita, quae cum illo conferatur, quam soli Christo immediate acceptam feramus; *jurisdictionis, ut ajunt, inchoatae, incompletae, radicalis, perficiendae, complendae, absolvendae ab Ecclesia per legitimam missionem, sive subditorum collationem*. I. Et ut ab ea potestate ordiamur, quam modo proposuimus, peccatorum dimittendorum, nemo non videt, per Spiritum Sanctum judiciariam potestatem Presbytero conferri, quae in solvendo, ac ligando sita est; sic enim Presbyterum jam inauguratum alloquitur Pontifex: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*. Quae verba eadem plane sunt, quibus Apostolis jurisdictionem plenissimam impertitus est Christus; at inchoatam, & incompletam tantummodo Episcopis (qui, uti dictum est superius, in omnem plenariam Apostolorum missionem non succedunt) ac Presbyteris simili quadam ratione, quae complenda, ac perficienda Ecclesiae relinquitur, cum gregis pars aliqua illis pascenda legitime traditur. Cum igitur judicium ex judicis, ac rei persona confletur, si judices constituuntur Presbyteri vi ordinationis suae, modo illo, quo dictum est, non potuit non jurisdictionis aliquid illis conferri.

II.

II. Fide Divina constat, definiente Tridentino *Sess.* 23. *Can.* 6. esse in Ecclesia Hierarchiam Divina ordinatione institutam, eamque ex Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis componi. Ad hunc ergo Sacrum Principatum pertinent secundo loco Presbyteri. At Principatus concipi omnino nequit sine subditis, ac jurisdictione in illos, aut saltem ordinem ad illos explicat necessario, si actu illi non habeantur. Ergo sine aliqua saltem inchoata jurisdictione explicari non potest sacer hic in Presbyteris Principatus.

III. Declarat eadem Tridentina Synodus *Sess.* 23. *Cap.* 4. *praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum succedunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.* Si Episcopi *praecipue* pertinent ad Hierarchicum Ordinem, & *praecipue* positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; ergo Presbyteri, qui secundo gradu censentur, *minus praecipue*, id est secundo loco pertinent, & *minus praecipue* positi sunt a Spiritu Sancto Ecclesiae Dei regendae. Sive praecipuum vero, sive minus praecipuum regimen sine aliqua jurisdictione immediate a Spiritu Sancto profecta concipi nequit omnino.

Sed audiamus Pontificem Presbyteros alloquentem, priusquam consecrationis illos munere augeat, propria illos munia edocentem, *Sacerdotem* enim, inquit, *oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, baptizare.* Praecipuum ergo Presbyteri munus est offerre, ex quo reliqua pendent. Per hanc augustissimam oblationem Sacerdotii Christi ita particeps efficitur, ut unus cum illo Sacerdos sit (eo modo, quo instrumentum unum quid est cum caussa principe movente, & applicante), unus Mediator Dei, & hominum. Sed Mediator, sicut infinite a Deo distat, sic longo intervallo homines praecedit, iisque

 supe-

superior est. Ergo Sacerdos ratione mediationis homines habet sibi quodammodo subjectos. Deinde Sacerdos jus habet, & potestatem in victimam, quam Deo offert: illam quidem & caedit, & mactat, ac destruit. Victima porro hujus tremendi sacrificii, quamvis sit Christus ipse, qui, sit ita loqui fas sit, ipse primum se Sacerdoti subjicit, illi obtemperans, ab illo sese immolari permittens, sunt etiam Fideles, qui Patri offeruntur simul cum Christo, cum quo unum mysticum corpus constituunt. Ergo ratione sacrificii jurisdictionem quamdam in omnes fideles Sacerdotes explicant.

Neque minus ejusmodi jurisdictio evincitur ex altero benedicendi munere, quod Sacerdotio convenit. Nam, *sine contradictione*, Apostolo teste ad *Hebraeos VII. quod minus est a majore benedicitur*. Oportet ergo ei, qui jure pollet, benedicendi, subditum esse illum, cui benedicitur. Qua argumentatione Abrahamo majorem fuisse Melchisedechum concludit Apostolus laudato loco: eoque ipso jure decimas ab illo accepisse, quarum collatio sicut in dante subjectionem, ita in accipiente auctoritatem dubio procul ostendunt.

Sed evidentissime isthaec jurisdictio ex quarto Presbyterali munere colligitur, quod est *Praeesse*, ut docet Apostolus *I. ad Timoth. V.* id nempe & nomen ipsum Presbyteri importat, cum in sui conceptu Praefecturam explicet quamdam; Magistratus nimirum, ac Praefecti in Rep. Seniores appellari solent, & ipsi non sicut Diaconi ad ministrandum, sed ad regendum sub manu Episcopi populum ordinantur. Sed haec clariora sunt, quam ut explicatione indigeant.

Porro, si in ministerio verbi, id est in praedicatione Magisterium includitur, quod sine discipulis non consistit; si pastio, quae sine grege non constat: luculenter apparet praedicandi munus aliquid jurisdictionis inferre tale, ac tantum, quale in Magistro

erga

erga discipulos, & in Pastore erga oves suas nemo non agnoscit.

Baptismi postremo jus dandi, quod Presbyteri ultimum munus esse audivimus, & ipsum quoque ad quamdam in Presbyteris jurisdictionem percipiendam sponte sua nos ducit. Nempe si per Baptismum janua Ecclesiam ingressuris aperitur, profecto liquet, Patrem familias oportere esse in domo, qui ingredi volentibus, fores recludit, & illorum numero accenset, qui cives sunt Sanctorum, ac domestici Dei. Sunt ergo Presbyteri vi ordinationis suae Patres familias, qui quos dignos reperiunt, domum admittunt, indignis exclusis.

Verum statuta inchoata hac, & incompleta in Presbyteris Jurisdictione, videamus modo, qualis illa demum sit, cujusve indolis, ac naturae. Discimus id ex Pontifice Presbyteros initiante: *Tales esse studeatis*, inquit, *ut in adjutorium Moysi, & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen, & Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis*. Et rursus Deum alloquens in oratione, quam pro consecrandis fundit, ejus sapientiam, ac bonitatem commendat his conceptis verbis: *Cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis, & operis adjumentum sequentis Ordinis viros, & secundae Dignitatis elegeris*. Addit mox adjutorium septuaginta seniorum Moysi a Deo collatum, & orationem concludit in hunc modum: *Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus*.

Duo in recitatis sanctissimis his precibus, Deique Spiritu plenis, notatu digna praecipue sunt. Primum, quod ab eodem summo Deo, qui Pontifices regendis populis praefecit, in societatem operis, ac laboris secundi ordinis, ac dignitatis Sacerdotes advocantur, & eliguntur. Secundum, quod maxime urgeo, quod

vocentur diſerte in *adjutorium ſocietatis* , *&* *operis*. Quae verba eo nos ducunt , ut Presbyterorum miniſterium, Presbyterorum poteſtas in regendis Populis, quod idem ſonat, ac juriſdictio , ſit tantum in *adjutorium* , *in ſupplementum*, *ac levamen*. Epiſcopi ergo erunt ipſi per ſe Principes, Praefecti , Rectores , Duces, Magiſtri ; Presbyteri vi ordinationis ſuae in adjutorium tantum, ac ſupplementum , id eſt Principes , Praefecti , Rectores , Magiſtri , Duces Auxiliares , Subſidiarii ſub Epiſcopis, ip is jubentibus, ipſis adjutorium, ac levamentum poſcentibus, uno verbo ſecundi Ordinis Paſtores , qui nihil unquam ſua ſponte gerant, ſed juſſu Pontificum, & ut de Diacono Euchariſtiam miniſtrante Canones loquuntur: *juſſus eroget*.

Huc etiam fortaſſe alluſerat Chriſtus Dominus, cum Diſcipulos ſeptuagintaduos praedicatum miſit: utitur enim reſtrictione quadam, quam non adhibuerat Apoſtolos mittens: *Miſit illos* , ait Lucae Cap. X. *binos ante faciem ſuam* , ut indicaret nimirum Presbyterorum, qui Diſcipulis ſuccedunt, ab Epiſcopis, quorum in ſe perſonam exprimebat , dependentiam , *in omnem locum*, *ac Civitatem*, *quo erat ipſe venturus*. Certe ſtatuerat illuc proficiſci, ſed gravioribus fortaſſe curis diſtentus, pergere diſtulerat ; utiturque interim Diſcipulorum miniſterio , ut ſignificaret, id etiam facturos Epiſcopos, cum ipſi omnibus rebus gerendis pares eſſe nequeant . Demum illuc pergere decreverat, ut ea perficeret, quae Diſcipuli perficere nequiverant, ut indicaret , poteſtatem Presbyteris traditam Epiſcopali miniſterio perficiendam fore.

Sed objiciet fortaſſe aliquis : Si Epiſcopis in adjutorium Presbyteri dati ſunt, integrum erit Epiſcopis hoc adjutorium reſpuere , ipſi per ſe poterunt omnia gerere. Futilis oppoſitio, nec ſatis digna, quae ſerio refellatur: nam primo *μετ' ἀδύνατον* amandandum

dum est, quod homo unus cujusvis demum virtutis, ac sapientiae omnia per se, maxime in summa negotiorum turba, quae possunt contingere, expediat. Deinde, etiamsi in prima nascentis Ecclesiae infrequentia id fortasse locum habuerit (quod nescio utrum diu obtinuerit, nam Apostoli statim post Ecclesiae exordia rerum mole oppressi tertium Ministrorum Ordinem promere coacti sunt) excrescente in immensum Fidelium numero potuisse fieri summae stultitiae genus est reputare. Accedit, quod Pontifices ipsi tanto oneri impares sese confitentur verbis illis; *quanto fragiliores sumus, pluribus his indigemus*. Denique Adjutores hujusmodi non sibi Episcopi adscivere, sed divinitus illis adjuncti sunt, ut proinde non liceat ipsis oblatum sibi a Deo subsidium refutare. Recte Johan. Major *in 4. dist. 24. Per consequens tam Episcopi, quam Curati sunt de jure divino, nec aliquis purus homo potest illas potestates tollere ab Ecclesia, plusquam summum Pontificatum*. Si non tollere, nec inutiles, nec frustraneas reddere; quod contingeret, si Episcopi Presbyteris Adjutoribus sibi a Deo concessis uti recusarent. Immo tantum ab hoc opinamenti monstro sanctissimi priorum seculorum Praesules abhorruere, ut potius potestatem suam vinculis quibusdam coërcuerint, ut Presbyteralem quodammodo amplificarent; cum irritum esse voluerunt, si quid ab ipsis sine Presbyterii vel consilio, vel consensu gestum fuisset. Et hic obiter notatum velim, Rom. Ecclesiam, si qua alia umquam, pristini hujus moris ad haec usque ferme secula retinentissimam fuisse. Certe Paullus III. sacrosanctum Oecumenicum Tridentinum Concilium indicturus, qua re nescio utrum gravius aliquid, ac momentosius fingi possit, Julius III. ac Pius IV. idem Concilium prorogaturi, Pius item IV ejusdem Concilii Acta dum confirmat, facere se se id profitentur de Ven. Fratrum suorum S. R. E. Cardina-

lium

lium Consilio, & Assensu; quos scilicet Rom. Pontificis Presbyterium vere appellaveris. Observandum esset, num posteriores Pontifices in suis Constitutionibus eamdem formulam usurparint: sed modo non vacat. Neque ob id injuriam ullam Episcopali ordini, ac dignitati irrogatam credidere. *Nam Canonum, qui Episcopalem fraenant auctoritatem, Episcopi ipsi auctores, conditoresque sunt. Episcopalis Collegii Capita fuere Apostoli, Caput summum per se Christus, vel per Vicarios. Non aliis ergo clauditur Episcopatus limitibus, quam quibus ipse sese concludit.* Egregie pro more suo Thomass. *de Benef. Part. 2. lib. 1. Cap.* 15.

Haec igitur, quam hactenus adstruximus, jurisdictio *radicalis*, *incompleta*, *imperfecta*, Sacerdotali characteri adhaerens, ab eoque promanans, illa jurisdictio est, quam parte I. *pag.* 17. diximus non Ecclesiae indulgentia, aut concessione, sed Divino jure in Presbyteros descendisse: Episcopali tamen auctoritati obnoxiam, ut significaremus illam ab Ecclesia, & ab Episcopis per collationem subditorum complendam esse, ac perficiendam. Neque id ingenio nostro confinximus, sed Universitatis Sorbonicae sententiam, quam Scripturis consonare censuimus, secuti sumus. Quae quidem sententia quatuor istis propositionibus concluditur.

I. *Omnes jurisdictiones Ecclesiae, aliae a Papali* (nam hanc esse immediate a Christo Catholicus nemo diffitetur) *sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem, & collationem primariam* (en aliis verbis jurisdictionem radicalem, incompletam) *a Papa autem, & ab Ecclesia quoad limitationem, & dispensationem ministerialem* (ecce vero jurisdictionem perfectam, atque completam.

II. *Hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate institutae a Christo.*

III. *Ex textu Evangelii, & doctrina Apostolorum*

habe-

habetur expresse Apostolis , & Discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam . Sed interest inter jurisdictionem Apostolis, ac Discipulis à Christo collatam, & illam , quam eorum confert successoribus. Apostolis nempe , ac Discipulis pro summa potestate sua extra Sacramentum contulit, licet cum ordine ad Sacramentum; nam etsi Paullum ipse per se Apostolum creaverit; voluit ut deinceps Episcopus per manuum impositionem ordinaretur. Successoribus vero illorum per Ordinis Sacramentum jurisdictionem hominum ministerio collatam vult.

IV. *Dicere inferiorum Praelatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate à Deo, Evangelicae, & Apostolicae consonat veritati.*

Non dissimulo, in hisce propositionibus sermonem esse de Curatis , sed id ob eam causam , quod utraque de jurisdictione loquantur: de inchoata scilicet, *quantum ad institutionem , & primariam collationem*, de perfecta, & completa *quoad limitationem, & dispensationem ministerialem*. Ceterum tales olim usque ad Seculum XII. omnes erant Presbyteri, quibus vetus constabat Presbyterium : in sua nempe inauguratione alicui adscribebantur Ecclesiae regendae sub manu Episcopi , plenamque accipiebant potestatem, jurisdictionemque: & hanc quidem immobilem, ac stabilem, ut minime possent solo nutu , aut Episcopi arbitrio de gradu dimoveri (qui ritus in hodiernis etiam Parochis obtinet, qui nonnisi judicio instituto, & pronunciata sententia possunt de Parochiali Beneficio deturbari). Ita contra nonnullos non indoctos viros diversa sentientes veteribus productis Canonibus censet Thomass. laud. superius loco . Sed ex quo invaluerunt Ordinationes *vagae*, contra quas acriter disputatum est in Trid. pluribus asserentibus, iri obviam non posse malis , quae in Ecclesiam irrepserant , nisi Canon Chalcedonensis instau-

stauraretur, Ordinationes hasce proscribens, Presbyteri sic ordinati, speciali indigent deputatione, qua ipsis subditi conferantur, in quos jurisdictionem exerceant. Jurisdictionem plenam, inquam, nam radicalem, & inchoatam, characteri affixam, amittere minime potuerant.

Hujus occasione disputationis illud in nos intorqueri audio. Cum nimirum vetus Presbyterium asseruerimus solis Animarum Curatoribus constitisse, id est Parochis, Parochos, quibus solis Animarum cura haesit, non Canonicos, qui illam diu jam abjecere, illi Presbyterio, ejusque juribus legitime successisse. Quod vere dici videretur, si vetus Presbyterium, Canonicosque antiquos sola Animarum cura constitueret; quod nonnisi falsissime affirmari potest. Nempe antiquitus non quis de Presbyterio erat, verusque Canonicus, quod Animarum curam gereret, sed quod de illo esset Clero, qui in corpus unum cum Capite Episcopo coalescebat. Nam & Parochi rustici Animarum curae erant addicti, nec in Presbyterio censebantur. Unica ergo Presbyterii nota haec erat plane, quod Capiti suo, Episcopo velut membra adhaerescerent, licet pro temporum illorum disciplina Animarum gererent curam, quod κατα συμβεβηκος accidisse censendum est. Id porro, non Parochis, sed solis Canonicis convenit, qui & olim, cum Animas curarent, & modo, cum hoc onus abjecere, unum cum Episcopo corpus conflant. Neque ullus erit, qui hoc inficiabitur, si animum adverterit, quod soli Canonici, non Parochi, Episcopo e vivis sublato, vel renuncianti in Episcopali succedunt jurisdictione; non alia de causa, nisi quia illius Capitis nativa sunt membra (*). Ce-

(*) Et quoniam hic sumus, praetermitti sine piaculo nequit eximium Cardinalis de Luca testimonium, cujus au-

terum etsi Canonici hodierni ministeriali, ut ita dicam, Animarum curae nuntium miserunt, eminentio-

auctoritas in rebus ejusmodi quanti facienda sit norunt eruditi. Is ergo in *Adnot. ad S. C. T. Discur.* 31. n. 1. 2. 3. etiam Sede plena jurisdictionem quamdam habitualem Capitulo adscribit: *Sede Episcopali vacante, de jure Episcopalis jurisdictio, atque Ecclesiae administratio devolvitur ad Capitulum; non quidem ex aliquo privilegio, vel speciali delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; eo quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo, & Capitulo; ab illo scilicet tamquam capite; ab isto autem tamquam reliquo corpore, Ecclesiastica jurisdictione, penes totum corpus HABITUALITER residente; exercitio autem in plerisque competente Capiti*. Et post nonnulla: *Et consequenter dejecto Capite jure consolidationis, vel ex jure non decrescendi, universa jurisdictio, seu totum jus Cathedraticum tam in HABITU, quam in EXERCITIO remanet penes Capitulum, tamquam reliquum Corpus Politicum; quod in hoc differt a corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, omnesque faciat operationes, quod in corpore naturali non datur*. Omnia in hoc testimonio ad miraculum praeclarissima sunt; sed illud singulare, quod nullo ex privilegio, aut speciali delegatione jus illud Capituli derivat; sed ex natura ipsa, id veluti insinuante, ut functiones eaedem toti Corpori, Capiti scilicet, & membris tribuantur. Quae ratio tanti fuit, ut usque ab ultima Christiane Reip. origine eadem semper, & pene ubique disciplina obtinuerit.

Sed hoc cum dicimus, ecce nescio quis nobis fortasse negotium facesset, Visitatores Episcopos in antiquitate sat notos obtrudens, quibus viduae Ecclesiae commendabantur. Nam si Episcopo humanis rebus exemto Episcopale jus omne in Capitulum consolidatur; quaenam Episcoporum istorum, quos Visitatores, Interventores Latini, περιοδευτὰς Graeci appellitarunt, partes erunt denique? Sed id facile difflabitur, si animadverterimus La-

di-

tiorem tamen curam retinuere. Si enim Episcopo in Pastorali sollicitudine, sive consilio, sive consensu praesto esse debent, nonne id est nobiliori quodam modo, non unius Paroeciae tantum, sed Dioeceseos totius talem gerere curam, qualem gerit Episcopus ipse

disciplinam hanc, nec semper, nec ubique viguisse. In Africa IV. demum Seculo frequentes Visitatores fuisse Auctor est Augustinus epist. 165. de Unico Baptis. cap. 16. In Oriente venandi unquam nobis non sunt Visitatores Episcopi, ait Thomas. Part. 3. lib. 2. cap. 51. Viduarum ibi Ecclesiarum curam gerebat Metropolitanus; neque id singulare; nam viventibus etiam Episcopis toti Provinciae is advigilabat. II. Visitatoris partes erant potissimae, ut novi Pastoris electio bene, & quam citissime succederet. Quod si intra annum hoc non perfecisset, facessere jubebatur, & novo Intercessori locum cedere. Carth. IV. can. 8. In Galliis obtinebat, ut propinquioris Ecclesiae Episcopus mortui Collegae procuraret funus, viduatae Ecclesiae temporalem rem gereret, impensis in id opus septem, non amplius, diebus, in suam se mox reciperet Ecclesiam. Concil. Regiense Can. 6. 7. III. Visitatorem curare oportebat, ne res Ecclesiae, quae abeunte e vivis Episcopo Laicorum, & Clericorum interdum direptioni patebant, qui mos tum pessime invaluerat, gliscebatque, misere expilarentur. *Si aliquis Episcopus interim obierit, Metropolitanus ipsi Sedi Visitatorem secundum sacros Canones deputet, qui una cum Comite ipsam Ecclesiam, ne praedetur, custodiat*. Carolus Calvus Capit. cap. 8. Denique Clero ipsi vel auctoritate sua in administranda Dioecesi auxiliares manus afferre, si quid forte sine Episcopali adjutorio expediri minime posset; vel certe illius negligentiam antevertere. Cujus rei vestigium aliquod in novissima superest disciplina: nam si Capitulum octo patiatur elabi dies, ac Vicarium minime deputarit, hujusmodi cura ex Tridentino vel ad Metropolitanum, vel ad viciniorem Episcopum pro Ecclesiarum conditione devolvitur.

ipse? Recte Ludovicus Habert Cap. 7. de Parochis: *Istorum (Parochorum) potestas ad unum locum coarctata est, & honor imminutus, cum ante novam hujus regiminis formam, Parochiarum scilicet erectionem, cura eorum ad universam Dioecesim extenderetur, & eo honoratiores essent, quo Episcopo conjunctiores, utpote ejus Consiliarii, & Assessores .... ut Ecclesiae Cathedrali adscripti, qui a Patribus Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Reform. dicuntur Senatus Ecclesiae, & eo titulo in Clero Dioecesano primum locum obtinent*. Totius rei summa huc redit demum. Ab Apostolicis usque temporibus Ecclesia Senatum habuit Presbyteris compactum Episcopo suo adsidentibus. Ignatius epist. ad Magnesianos. Hieronymus: *habemus Senatum nostrum coetum Presbyterorum*. Sed Tridentinis Patribus *loc. cit.* fixum, ratumque est, hunc locum, hunc Senatum hodiernos Canonicos implere. Hi igitur veteri illi Presbyterio succedunt legitime, inque hos illorum jura, ac privilegia hereditario quodam titulo transfunduntur.

Haec cum affirmamus, non illud nobis propositum est, ut nostrates Canonicos contentione facta Parochis anteferamus, aut hos illis vicissim. Praeter enim quamquod verissimum est tritum illud, *Odiosa comparatio*, est utrique ordini suus peculiaris honor, prerogativae peculiares. Parochos animarum cura extollit, quae sane dignitatum summa est, quae supra mysticum Christi Corpus mortali homini conferri possit. Canonici itidem compluribus nominibus satis praecellunt, etiam postquam Animarum procurationem abjecerunt, (nam quamdiu illam retinuere Parochis nulla in re absimiles fuere). Nam 1. Canonici sunt Episcoporum Consiliarii super regimine, curaeque ipsius recta administratione. 2. Consiliarii sunt non ad arbitrium adsciti, sed ex necessitate, in multis saltem

capi-

capitibus, quae in unum locum congessimus *Oper. part.* 2. *pa*. 100. 3. Quod in Capitulum Sede vacante omnis Episcopalis jurisdictio recidit; quo tempore, quod magis mireris, Metropolitani Canonici ipsis etiam Episcopis suffraganeis praeerant jurisdictione. 4. Quod Canonicis Episcopus, immo commune jus praesens, potestatem ampliat clavium, Canonico nimirum Poenitentiario. 5. Quod Magisterium, doctrinaeque sacrae tradendae munus ipsis solemnius, ac praecipua quadam ratione concreditum est, Canonico nempe Theologo. 6. Canonici, non vero Parochi una cum Episcopo ad Concilium Provinciale conveniunt. 7. Denique, quod ipsi prae aliis simplicibus Sacerdotibus frequentius destinari soleant ad gravissima omnium munia, & quidem nonnumquam supra Parochos ipsos, ut scilicet eorum scientiam, qui Parochi renuntiandi sunt, instituto scrutinio in concursu discutiant; & id quidem Canonicis cum Parochis ipsis, immo & cum aliis Sacerdotibus commune est; sed illud Canonicorum proprium, quod Examinatores soli probent, Synodales quidem in Synodo, extra Synodum Prosynodales, quos vocant; uti de ipsis Parochis judicent aliquando in Ecclesiastico Tribunali, ut Clero toti advigilent, ut in delicatissimo Monialium regimine Vicariam operam Episcopis praestent, quod demum in Synodali legislatione post Episcopum praecipuas partes habeant. Hinc merito factum est, ut insignibus, quae *Praelatitia* appellant, honestari soleant; quodque rem magis confirmat, mos invaluit, ut Parochi sibi ad Capitulum aditum patefieri postulent, atque ad Canonicatus ascendant; Canonici numquam fere ad Paroecias descendant; cujus quidem moris vestigia in antiquitate satis perspicua comperimus apud Thomassinum, cujus verba damus: *Etsi magna esset existimatio, magna dignitas Presbyterorum omnium; erat tamen longe major, illustriorque*

eorum,

eorum , qui cum Episcopis Cathedrali Ecclesiae affigebantur , unde tanquam e specula universae imminerent Dioecesi . Eo factum est , ut Numidius Presbyter , forsan alicujus Ecclesiae Parochus , in coetum promoveretur Cathedralium Presbyterorum . Et alibi, nimirum *Part.* 1. *lib. III. Cap.* 8. §. 10. agens de Emeritensi Concilio, quod facultatem Episcopo fecerat Rurales Parochos in Ecclesiam Cathedralem suam transferendi, haec habet: *Quamquam pluris ad animarum salutem faciendi videantur Parochi , quam Canonici : non temere tamen in hoc Concilio potestas fit Episcopis , ut transferre possint Parochos quoscumque praestantiores , & Cathedralis suae Canonicis adnumerare , suffecto in eorum locum Parocho alio . Nec abstrusa magnopere, sed prompta , & expedita hujus rei ratio est . Nimirum Canonici veluti membra sunt , & oculi , manusque , & pedes Episcoporum , cumque eo constantur in Senatum unum , qui Dioeceseos universae moderatur gubernacula . Ne dubitari autem quidem potest , quin pluris intersit ad Reip. Christianae salutem & gloriam promovendam providentia haec generalis Ecclesiae , quam Parochiae cujuscumque particularis . Et ea etiam forsan ratione Canonico huic novo cura semper incumbit , & regimen Parochiae prioris , quid vere Canonici cum Episcopo invigilent , excubentque ad regimen universe omnium territorii Episcopalis Ecclesiarum .*

Hic finem facere constitueram, cum mihi obnuntiatum de aliquibus in exposita Presbyterii doctrina, utut innumeris auctoritatibus firmata non satis mihi consentientibus , perinde ac si Parochis injurius fuissem, quos Presbyterio expulerim . Ad istorum igitur gratiam ineundam , age & Parochos etiam quoquo modo fas est in Presbiterium admittamus : quod plane fiet, si pressius explicentur, quae in Opere edisserui (neque enim omnia tamquam imperitis lectoribus enucleanda tum censui) & quidem

Cap. 7. *Quoniam igitur natura, at ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, seu subdelegatam non habet jurisdictionem*. En Jurisdictionis potestas, sed ecce tibi statim Ordinis potestatem. *Sess.* 23 *Cap.* 15. *de Reform. Quamvis Presbyteri in sui Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit, &c.*

Hisce tamen Decretis debita cum reverentia, ac submissione exceptis, agnoscendum tamen est in Presbyterali Charactere jurisdictionis nonnihil, quae ipsi Characteri sit imbibita, quae cum illo conferatur, quam soli Christo immediate acceptam feramus; *jurisdictionis*, ut ajunt, *inchoatae, incompletae, radicalis, perficiendae, complendae, absolvendae ab Ecclesia per legitimam missionem, sive subditorum collationem*. I. Et ut ab ea potestate ordiamur, quam modo proposuimus, peccatorum dimittendorum, nemo non videt, per Spiritum Sanctum judiciariam potestatem Presbytero conferri, quae in solvendo, ac ligando sita est; sic enim Presbyterum jam inauguratum alloquitur Pontifex: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*. Quae verba eadem plane sunt, quibus Apostolis jurisdictionem pleniffimam impertitus est Christus; at inchoatam, & incompletam tantummodo Episcopis (qui, uti dictum est superius, in omnem plenariam Apostolorum missionem non succedunt) ac Presbyteris simili quadam ratione, quae complenda, ac perficienda Ecclesiae relinquitur, cum gregis pars aliqua illis pascenda legitime traditur. Cum igitur judicium ex judicis, ac rei persona confletur, si judices constituuntur Presbyteri vi ordinationis suae, modo illo, quo dictum est, non potuit non jurisdictionis aliquid illis conferri.

II.

II. Fide Divina constat, definiente Tridentino *Sess.* 23. *Can.* 6. esse in Ecclesia Hierarchiam Divina ordinatione institutam, eamque ex Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis componi. Ad hunc ergo Sacrum Principatum pertinent secundo loco Presbyteri. At Principatus concipi omnino nequit sine subditis, ac jurisdictione in illos, aut saltem ordinem ad illos explicat necessario, si actu illi non habeantur. Ergo sine aliqua saltem inchoata jurisdictione explicari non potest sacer hic in Presbyteris Principatus.

III. Declarat eadem Tridentina Synodus *Sess.* 23. *Cap.* 4. *praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum succedunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*. Si Episcopi *praecipue* pertinent ad Hierarchicum Ordinem, & *praecipue* positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; ergo Presbyteri, qui secundo gradu censentur, *minus praecipue*, id est secundo loco pertinent, & *minus praecipue* positi sunt a Spiritu Sancto Ecclesiae Dei regendae. Sive praecipuum vero, sive minus praecipuum regimen sine aliqua jurisdictione immediate a Spiritu Sancto profecta concipi nequit omnino.

Sed audiamus Pontificem Presbyteros alloquentem, priusquam consecrationis illos munere augeat, propria illos munia edocentem, *Sacerdotem* enim, inquit, *oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, baptizare*. Praecipuum ergo Presbyteri munus est offerre, ex quo reliqua pendent. Per hanc augustissimam oblationem Sacerdotii Christi ita particeps efficitur, ut unus cum illo Sacerdos sit (eo modo, quo instrumentum unum quid est cum caussa principe movente, & applicante), unus Mediator Dei, & hominum. Sed Mediator, sicut infinite a Deo distat, sic longo intervallo homines praecedit, iisque

superior est. Ergo Sacerdos ratione mediationis homines habet sibi quodammodo subjectos. Deinde Sacerdos jus habet, & potestatem in victimam, quam Deo offert: illam quidem & caedit, & mactat, ac destruit. Victima porro hujus tremendi sacrificii, quamvis sit Christus ipse, qui, sit ita loqui fas sit, ipse primum se Sacerdoti subjicit, illi obtemperans, ab illo sese immolari permittens, sunt etiam Fideles, qui Patri offeruntur simul cum Christo, cum quo unum mysticum corpus constituunt. Ergo ratione sacrificii jurisdictionem quamdam in omnes fideles Sacerdotes explicant.

Neque minus ejusmodi jurisdictio evincitur ex altero benedicendi munere, quod Sacerdotio convenit. Nam, *sine contradictione*, Apostolo teste ad *Hebraeos VII. quod minus est a majore benedicitur*. Oportet ergo ei, qui jure pollet, benedicendi, subditum esse illum, cui benedicitur. Qua argumentatione Abrahamo majorem fuisse Melchisedechum concludit Apostolus laudato loco: eoque ipso jure decimas ab illo accepisse, quarum collatio sicut in dante subjectionem, ita in accipiente auctoritatem dubio procul ostendunt.

Sed evidentissime isthaec jurisdictio ex quarto Presbyterali munere colligitur, quod est *Praeesse*, ut docet Apostolus *I. ad Timoth. V.* id nempe & nomen ipsum Presbyteri importat, cum in sui conceptu Praefecturam explicet quamdam; Magistratus nimirum, ac Praefecti in Rep. Seniores appellari solent, & ipsi non sicut Diaconi ad ministrandum, sed ad regendum sub manu Episcopi populum ordinantur. Sed haec clariora sunt, quam ut explicatione indigeant.

Porro, si in ministerio verbi, id est in praedicatione Magisterium includitur, quod sine discipulis non consistit; si pastio, quae sine grege non constat: luculenter apparet praedicandi munus aliquid jurisdictionis inferre tale, ac tantum, quale in Magistro

erga

erga discipulos, & in Pastore erga oves suas nemo non agnoscit.

Baptismi postremo jus dandi, quod Presbyteri ultimum munus esse audivimus, & ipsum quoque ad quamdam in Presbyteris jurisdictionem percipiendam sponte sua nos ducit. Nempe si per Baptismum janua Ecclesiam ingressuris aperitur, profecto liquet, Patrem familias oportere esse in domo, qui ingredi volentibus, fores recludit, & illorum numero accenset, qui cives sunt Sanctorum, ac domestici Dei. Sunt ergo Presbyteri vi ordinationis suae Patres familias, qui quos dignos reperiunt, domum admittunt, indignis exclusis.

Verum statuta inchoata hac, & incompleta in Presbyteris Jurisdictione, videamus modo, qualis illa demum sit, cujusve indolis, ac naturae. Discimus id ex Pontifice Presbyteros initiante: *Tales esse studeatis*, inquit, *ut in adjutorium Moysi, & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen, & Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis*. Et rursus Deum alloquens in oratione, quam pro consecrandis fundit, ejus sapientiam, ac bonitatem commendat his conceptis verbis: *Cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis, & operis adjumentum sequentis Ordinis viros, & secundae Dignitatis elegeris*. Addit mox adjutorium septuaginta seniorum Moysi a Deo collatum, & orationem concludit in hunc modum: *Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus.*

Duo in recitatis sanctissimis his precibus, Deique Spiritu plenis, notatu digna praecipue sunt. Primum, quod ab eodem summo Deo, qui Pontifices regendis populis praefecit, in societatem operis, ac laboris secundi ordinis, ac dignitatis Sacerdotes advocantur, & eliguntur. Secundum, quod maxime urgeo, quod vo-

vocentur diſerte in *adjutorium ſocietatis* , *&* *operis*. Quae verba eo nos ducunt , ut Presbyterorum miniſterium, Presbyterorum poteſtas in regendis Populis, quod idem ſonat, ac jurisdictio , ſit tantum in *adjutorium* , *in ſupplementum*, *ac levamen*. Epiſcopi ergo erunt ipsi per ſe Principes, Praefecti , Rectores , Duces , Magiſtri ; Presbyteri vi ordinationis ſuae in adjutorium tantum, ac ſupplementum , id eſt Principes , Praefecti , Rectores , Magiſtri , Duces Auxiliares , Subsidiarii ſub Epiſcopis , ip is jubentibus , ipsis adjutorium, ac levamentum poſcentibus, uno verbo ſecundi Ordinis Paſtores , qui nihil unquam ſua ſponte gerant, ſed juſſu Pontificum , & ut de Diacono Euchariſtiam miniſtrante Canones loquuntur : *juſſus eroget*.

Huc etiam fortaſſe alluſerat Chriſtus Dominus , cum Diſcipulos ſeptuagintaduos praedicatum miſit : utitur enim reſtrictione quadam , quam non adhibuerat Apoſtolos mittens : *Miſit illos* , ait Lucae Cap. X. *binos ante faciem ſuam* , ut indicaret nimirum Presbyterorum, qui Diſcipulis ſuccedunt, ab Epiſcopis, quorum in ſe perſonam exprimebat , dependentiam , *in omnem locum*, *ac Civitatem*, *quo erat ipſe venturus*. Certe ſtatuerat illuc proficiſci, ſed gravioribus fortaſſe curis diſtentus, pergere diſtulerat ; utiturque interim Diſcipulorum miniſterio , ut significaret, id etiam facturos Epiſcopos, cum ipsi omnibus rebus gerendis pares eſſe nequeant . Demum illuc pergere decreverat, ut ea perficeret, quae Diſcipuli perficere nequiverant, ut indicaret , poteſtatem Presbyteris traditam Epiſcopali miniſterio perficiendam fore.

Sed objiciet fortaſſe aliquis : Si Epiſcopis in adjutorium Presbyteri dati ſunt, integrum erit Epiſcopis hoc adjutorium reſpuere , ipsi per ſe poterunt omnia gerere. Futilis oppositio, nec ſatis digna, quae ſerio refellatur: nam primo *μετ' ἀδυνατων* amandandum

dum est, quod homo unus cujusvis demum virtutis, ac sapientiae omnia per se, maxime in summa negotiorum turba, quae possunt contingere, expediat. Deinde, etiamsi in prima nascentis Ecclesiae infrequentia id fortasse locum habuerit (quod nescio utrum diu obtinuerit, nam Apostoli statim post Ecclesiae exordia rerum mole oppressi tertium Ministrorum Ordinem promere coacti sunt) excrescente in immensum Fidelium numero potuisse fieri summae stultitiae genus est reputare. Accedit, quod Pontifices ipsi tanto oneri impares sese confitentur verbis illis; *quanto fragiliores sumus, pluribus his indigemus*. Denique Adjutores hujusmodi non sibi Episcopi adscivere, sed divinitus illis adjuncti sunt, ut proinde non liceat ipsis oblatum sibi a Deo subsidium refutare. Recte Johan. Major *in* 4. *dist.* 24. *Per consequens tam Episcopi, quam Curati sunt de jure divino, nec aliquis purus homo potest illas potestates tollere ab Ecclesia, plusquam summum Pontificatum*. Si non tollere, nec inutiles, nec frustraneas reddere, quod contingeret, si Episcopi Presbyteris Adjutoribus sibi a Deo concessis uti recusarent. Immo tantum ab hoc opinamenti monstro sanctissimi priorum seculorum Praesules abhorruere, ut potius potestatem suam vinculis quibusdam coërcuerint, ut Presbyteralem quodammodo amplificarent; cum irritum esse voluerunt, si quid ab ipsis sine Presbyterii vel consilio, vel consensu gestum fuisset. Et hic obiter notatum velim, Rom. Ecclesiam, si qua alia umquam, pristini hujus moris ad haec usque ferme secula retinentissimam fuisse. Certe Paulus III. sacrosanctum Oecumenicum Tridentinum Concilium indicturus, qua re nescio utrum gravius aliquid, ac momentosius fingi possit, Julius III. ac Pius IV. idem Concilium prorogaturi, Pius item IV ejusdem Concilii Acta dum confirmat, facere se se id profitentur de Ven. Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium

lium Consilio, & Assensu, quos scilicet Rom. Pontificis Presbyterium vere appellaveris. Observandum esset, num posteriores Pontifices in suis Constitutionibus eamdem formulam usurparint: sed modo non vacat. Neque ob id injuriam ullam Episcopali ordini, ac dignitati irrogatam credidere. *Nam Canonum, qui Episcopalem fraenant auctoritatem, Episcopi ipsi auctores, conditoresque sunt. Episcopalis Collegii Capita fuere Apostoli, Caput summum per se Christus, vel per Vicarios. Non aliis ergo clauditur Episcopatus limitibus, quam quibus ipse sese concludit.* Egregie pro more suo Thomass. *de Benef. Part. 2. lib. 1. Cap.* 15.

Haec igitur, quam hactenus adstruximus, jurisdictio *radicalis*, *incompleta*, *imperfecta*, Sacerdotali characteri adhaerens, ab eoque promanans, illa jurisdictio est, quam parte I. *pag.* 17. diximus non Ecclesiae indulgentia, aut concessione, sed Divino jure in Presbyteros descendisse: Episcopali tamen auctoritati obnoxiam, ut significaremus illam ab Ecclesia, & ab Episcopis per collationem subditorum complendam esse, ac perficiendam. Neque id ingenio nostro confinximus, sed Universitatis Sorbonicae sententiam, quam Scripturis consonare censuimus, secuti sumus. Quae quidem sententia quatuor istis propositionibus concluditur.

I. *Omnes jurisdictiones Ecclesiae, aliae a Papali* (nam hanc esse immediate a Christo Catholicus nemo diffitetur) *sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem, & collationem primariam* (en aliis verbis jurisdictionem radicalem, incompletam) *a Papa autem, & ab Ecclesia quoad limitationem, & dispensationem ministerialem* (ecce vero jurisdictionem perfectam, atque completam.

II. *Hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate institutae a Christo.*

III. *Ex textu Evangelii, & doctrina Apostolorum habe-*

habetur expresse Apostolis, & Discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Sed interest inter jurisdictionem Apostolis, ac Discipulis a Christo collatam, & illam, quam eorum confert successoribus. Apostolis nempe, ac Discipulis pro summa potestate sua extra Sacramentum contulit, licet cum ordine ad Sacramentum; nam etsi Paullum ipse per se Apostolum creaverit; voluit ut deinceps Episcopus per manuum impositionem ordinaretur. Successoribus vero illorum per Ordinis Sacramentum jurisdictionem hominum ministerio collatam vult.

IV. *Dicere inferiorum Praelatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediate a Deo, Evangelicae, & Apostolicae consonat veritati.*

Non dissimulo, in hisce propositionibus sermonem esse de Curatis, sed id ob eam causam, quod utraque de jurisdictione loquantur: de inchoata scilicet, *quantum ad institutionem, & primariam collationem*, de perfecta, & completa *quoad limitationem, & dispensationem ministerialem*. Ceterum tales olim usque ad Seculum XII. omnes erant Presbyteri, quibus vetus constabat Presbyterium: in sua nempe inauguratione alicui adscribebantur Ecclesiae regendae sub manu Episcopi, plenamque accipiebant potestatem, jurisdictionemque: & hanc quidem immobilem, ac stabilem, ut minime possent solo nutu, aut Episcopi arbitrio de gradu dimoveri (qui ritus in hodiernis etiam Parochis obtinet, qui nonnisi judicio instituto, & pronunciata sententia possunt de Parochiali Beneficio deturbari). Ita contra nonnullos non indoctos viros diversa sentientes veteribus productis Canonibus censet Thomass. laud. superius loco. Sed ex quo invaluerunt Ordinationes *vagae*, contra quas acriter disputatum est in Trid. pluribus asserentibus, iri obviam non posse malis, quae in Ecclesiam irrepserant, nisi Canon Chalcedonensis instau-

flauraretur, Ordinationes hasce proscribens, Presbyteri sic ordinati, speciali indigent deputatione, quæ ipsis subditi conferantur, in quos jurisdictionem exerceant. Jurisdictionem plenam, inquam, nam radicalem, & inchoatam, charactéri affixam, amittere minime potuerant.

Hujus occasione disputationis illud in nos intorqueri audio. Cum nimirum vetus Presbyterium asseruerimus solis Animarum Curatoribus constitisse, id est Parochis, Parochos, quibus solis Animarum cura haesit, non Canonicos, qui illam diu jam abjecere, illi Presbyterio, ejusque juribus legitime successisse. Quod vere dici videretur, si vetus Presbyterium, Canonicosque antiquos sola Animarum cura constitueret; quod nonnisi falsissime affirmari potest. Nempe antiquitus non quis de Presbyterio erat, verusque Canonicus, quod Animarum curam gereret, sed quod de illo esset Clero, qui in corpus unum cum Capite Episcopo coalescebat. Nam & Parochi rustici Animarum curae erant addicti, nec in Presbyterio censebantur. Unica ergo Presbyterii nota haec erat plane, quod Capiti suo, Episcopo velut membra adhaerescerent, licet pro temporum illorum disciplina Animarum gererent curam, quod κατα συμβεβηκος accidisse censendum est. Id porro, non Parochis, sed solis Canonicis convenit, qui & olim, cum Animas curarent, & modo, cum hoc onus abjecere, unum cum Episcopo corpus conflant. Neque ullus erit, qui hoc inficiabitur, si animum adverterit, quod soli Canonici, non Parochi, Episcopo e vivis sublato, vel renuncianti in Episcopali succedunt jurisdictione; non alia de causa, nisi quia illius Capitis nativa sunt membra (*). Cete-

(*) Et quoniam hic sumus, praetermitti sine piaculo nequit eximium Cardinalis de Luca testimonium, cujus au-

terum etsi Canonici hodierni ministeriali, ut ita dicam, Animarum curae nuntium miserunt, eminentio-

auctoritas in rebus ejusmodi quanti facienda sit norunt eruditi. Is ergo in *Adnot. ad S. C. T. Discur.* 31. n. 1. 2. 3. etiam Sede plena jurisdictionem quamdam habitualem Capitulo adscribit: *Sede Episcopali vacante, de jure Episcopalis jurisdictio, atque Ecclesiae administratio devolvitur ad Capitulum; non quidem ex aliquo privilegio, vel speciali delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; eo quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo, & Capitulo; ab illo scilicet tamquam capite; ab isto autem tamquam reliquo corpore, Ecclesiastica jurisdictione, penes totum corpus HABITUALITER residente; exercitio autem in plerisque competente Capiti*. Et post nonnulla: *Et consequenter dejecto Capite jure consolidationis, vel ex jure non decrescendi, universa jurisdictio, seu totum jus Cathedraticum tam in HABITU, quam in EXERCITIO remanet penes Capitulum, tamquam reliquum Corpus Politicum; quod in hoc differt a corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, omnesque faciat operationes, quod in corpore naturali non datur*. Omnia in hoc testimonio ad miraculum praeclarissima sunt; sed illud singulare, quod nullo ex privilegio, aut speciali delegatione jus illud Capituli derivat; sed ex natura ipsa, id veluti insinuante, ut functiones eaedem toti Corpori, Capiti scilicet, & membris tribuantur. Quae ratio tanti fuit, ut usque ab ultima Christiane Reip. origine eadem semper, & pene ubique disciplina obtinuerit.

Sed hoc cum dicimus, ecce nescio quis nobis fortasse negotium facesset, Visitatores Episcopos in antiquitate sat notos obtrudens, quibus viduae Ecclesiae commendabantur. Nam si Episcopo humanis rebus exemto Episcopale jus omne in Capitulum consolidatur; quaenam Episcoporum istorum, quos Visitatores, Interventores Latini, περιοδευτας Graeci appellitarunt, partes erunt denique? Sed id facile difflabitur, si animadverterimus La-

di-

tiorem tamen curam retinuere. Si enim Episcopo in Pastorali sollicitudine, sive consilio, sive consensu praesto esse debent, nonne id est nobiliori quodam modo, non unius Paroeciae tantum, sed Dioeceseos totius talem gerere curam, qualem gerit Episcopus ipse

disciplinam hanc, nec semper, nec ubique viguisse. In Africa IV. demum Seculo frequentes Visitatores fuisse Auctor est Augustinus epist. 165. de Unico Baptis. cap. 16. In Oriente venandi unquam nobis non sunt Visitatores Episcopi, ait Thomass. Part. 3. lib. 2. cap. 51. Viduarum ibi Ecclesiarum curam gerebat Metropolitanus; neque id singulare; nam viventibus etiam Episcopis toti Provinciae is advigilabat. II. Visitatoris partes erant potissimae, ut novi Pastoris electio bene, & quam citissime succederet. Quod si intra annum hoc non perfecisset, facessere jubebatur, & novo Intercessori locum cedere. Carth. IV. can. 8. In Galliis obtinebat, ut propinquioris Ecclesiae Episcopus mortui Collegae procuraret funus, viduatae Ecclesiae temporalem rem gereret, impensis in id opus septem, non amplius, diebus, in suam se mox reciperet Ecclesiam. Concil. Regiense Can. 6. 7. III. Visitatorem curare oportebat, ne res Ecclesiae, quae abeunte e vivis Episcopo Laicorum, & Clericorum interdum direptioni patebant, qui mos tum pessime invaluerat, gliscebatque, misere expilarentur: *Si aliquis Episcopus interim obierit, Metropolitanus ipsi Sedi Visitatorem secundum sacros Canones deputet, qui una cum Comite ipsam Ecclesiam, ne praedetur, custodiat.* Carolus Calvus Capit. cap. 8. Denique Clero ipsi vel auctoritate sua in administranda Dioecesi auxiliares manus afferre, si quid forte sine Episcopali adjutorio expediri minime posset; vel certe illius negligentiam antevertere. Cujus rei vestigium aliquod in novissima superest disciplina: nam si Capitulum octo patiatur elabi dies, ac Vicarium minime deputarit, hujusmodi cura ex Tridentino vel ad Metropolitanum, vel ad viciniorem Episcopum pro Ecclesiarum conditione devolvitur.

ipse? Recte Ludovicus Habert Cap. 7. de Parochis: *Istorum (Parochorum) potestas ad unum locum coarctata est, & honor imminutus, cum ante novam hujus regiminis formam, Parochiarum scilicet erectionem, cura eorum ad universam Dioecesim extenderetur, & eo honoratiores essent, quo Episcopo conjunctiores, utpote ejus Consiliarii, & Assessores ..... ut Ecclesiae Cathedrali adscripti, qui a Patribus Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform. dicuntur Senatus Ecclesiae, & eo titulo in Clero Dioecesano primum locum obtinent*. Totius rei summa huc redit demum. Ab Apostolicis usque temporibus Ecclesia Senatum habuit Presbyteris compactum Episcopo suo adsidentibus. Ignatius epist. ad Magnesianos, Hieronymus: *habemus Senatum nostrum coetum Presbyterorum*. Sed Tridentinis Patribus *loc. cit.* fixum, ratumque est, hunc locum, hunc Senatum hodiernos Canonicos implere. Hi igitur veteri illi Presbyterio succedunt legitime, inque hos illorum jura, ac privilegia hereditario quodam titulo transfunduntur.

Haec cum affirmamus, non illud nobis propositum est, ut nostrates Canonicos contentione facta Parochis anteferamus, aut hos illis vicissim. Praeter enim quamquod verissimum est tritum illud, *Odiosa comparatio*, est utrique ordini suus peculiaris honor, prerogativae peculiares. Parochos animarum cura extollit, quae sane dignitatum summa est, quae supra mysticum Christi Corpus mortali homini conferri possit. Canonici itidem compluribus nominibus satis praecellunt, etiam postquam Animarum procurationem abjecerunt, (nam quamdiu illam retinuere Parochis nulla in re absimiles fuere). Nam 1. Canonici sunt Episcoporum Consiliarii super regimine, curaeque ipsius recta administratione. 2. Consiliarii sunt non ad arbitrium adsciti, sed ex necessitate, in multis saltem

capi-

eorum , qui cum Episcopis Cathedrali Ecclesiae affigebantur , unde tanquam e specula universae imminerent Dioecesi . Eo factum est , ut Numidius Presbyter . forsan alicujus Ecclesiae Parochus , in coetum promoveretur Cathedralium Presbyterorum . Et alibi , nimirum *Part.* 1. *lib. III. Cap.* 8. §. 10. agens de Emeritensi Concilio, quod facultatem Episcopo fecerat Rurales Parochos in Ecclesiam Cathedralem suam transferendi , haec habet: *Quamquam pluris ad animarum salutem faciendi videantur Parochi , quam Canonici : non temere tamen in hoc Concilio potestas fit Episcopis , ut transferre possint Parochos quoscumque praestantiores , & Cathedralis suae Canonicis adnumerare , suffecto in eorum locum Parocho alio . Nec abstrusa magnopere, sed prompta , & expedita hujus rei ratio est . Nimirum Canonici veluti membra sunt , & oculi , manusque , & pedes Episcoporum , cumque eo conflantur in Senatum unum , qui Dioecesеos universae moderatur gubernacula . Ne dubitari autem quidem potest , quin pluris intersit ad Reip. Christianae salutem & gloriam promovendam providentia haec generalis Ecclesiae , quam Parochiae cujuscumque particularis . Et ea etiam forsan. ratione Canonico huic novo cura semper incumbit , & regimen Parochiae prioris , quid vere Canonici cum Episcopo invigilent , excubentque ad regimen universe omnium territorii Episcopalis Ecclesiarum .*

Hic finem facere constitueram , cum mihi obnuntiatum de aliquibus in exposita Presbyterii doctrina, utut innumeris auctoritatibus firmata non satis mihi consentientibus , perinde ac si Parochis injurius fuissem , quos Presbyterio expulerim . Ad istorum igitur gratiam ineundam , age & Parochos etiam quoquo modo fas est in Presbiterium admittamus : quod plane fiet , si pressius explicentur , quae in Opere edisserui (neque enim omnia tamquam imperitis lectoribus enucleanda tum censui) & quidem

 di-

distinctione una adhibita, quam mihi acutissimi ingenii Vir, atque ad conciliandas partes apprime comparatus Nicolaus Caldora S. T. M. in tempore suppeditavit. Presbyterium quippe duplici notione accipi potest: altera quidem ampliori, ac Theologica potius; strictiori altera, eaque prorsus Canonica. Priori significatione Sacerdotes omnes, inter quos ob animarum curam dignitate Parochi eminent, comprehendit, Sacerdotes, inquam, quos Episcopus cum libuerit, ac quomodo libuerit, sacro applicat ministerio; posteriori vero solos complectitur Canonicos, qui Ecclesiae Senatum actu constituunt, ac proprie dictum Presbiterium, in quod vetustissimi illius Presbyterii jura, ac privilegia transfusa sunt, Clerumque exhibent universum quod ex saepe laudato Tridentino, aliisque Canonici juris sanctionibus apertissime colligitur. Postrema hac acceptione vel ipsa instituti ratio postulabat Presbyterium venire, cum non de Theologica characteris aequalitate, ac Ordinis praestantia Presbyterorum omnium, sed potius de ipsorum juribus, ac muneribus agerem, quae nonnisi per canones conferuntur.

Sed modo vela contrahamus. His igitur ita constitutis de radicali, incompleta, imperfecta jurisdictione Presbyterorum, ex ipso illorum charactere dimanante, a Deo ipso accepta, jurisdictione in adjutorium, ac subsidiaria, probe constabunt, ac procedent omnia. Nihil amplius perfectae jurisdictionis erit, quod ipsis non possit concedi salva Episcoporum Majestate, ac Dignitate, ac super ipsos praestantia. Jurisdictionis inquam, non quae exterius tantum respiciat forum, qualis minoribus etiam Clericis permitti potest extra ordinem, uti loquuntur (ne mulieres hic interseram, de quibus disceptant Canonistae propter Abbatissas nonnullas Episcopali jurisdictione praeditas, de quibus ipsos adi) sed maxime, quae forum Animae interius spectant, &

& a charactere pendent. Immo, quae & characteri haerent Episcopali, ut collatio est Sacramenti Confirmationis, quod Presbyteri modo apud Graecos conferunt, nec Latinis denegatur facta a SS. Pontifice venia, ut praetermittam nonnullorum Theologorum opinionem, qui hanc facultatem Episcopos facere posse autumant, qua de re nihil pronuntio. Sunt enimvero Presbyteri in Mystico Corpore manus, sine quibus Episcopus, qui Caput est, nihil moliri, nihil aggredi, nihil potest expedire.

Nulla ergo sit in nobis mora, nulla incessat importuna religio, quin Presbyteros audacter pronuntiemus posse cum Episcopis, & sub Episcopis regere, pascere, comprimere, coërcere, praeesse, judicare, leges condere, in Synodis pleno suffragio potiri. Sed de judiciaria in Synodis potestate, illud sedulo cavendum est, ne Presbyteros ibi judices sedere cum Episcopis, ac de caussis Dogmaticis pronuntiare posse asseramus vi ordinationis suae proprio, quae ipsos Episcopis pares in ferendo suffragio faciat: ac Episcoporum potestatem in ipsos etiam Presbyteros invitos, ac reluctantes enervet, perinde, ac si nequeat Episcopus leges ferre, quae ipsos teneant Presbyteros, & in ordinem redigant contumaces, sine illorum consensu. Id enim ex Aëriano errore consequitur, ac nuper Ecclesia sententiam hujusmodi, ut Ordinis Hierarchici subversivam proscripsit. Nimirum hoc etiam Jansenistae a Calvino, qui & illud ab Aërio mutuatus erat, accepere. Scitum est enim Constitutionis *Unigenitus* Refractarios quinque Episcopos Gallos, cum se numero impares agnoscerent, commilitones inter Presbyteros sibi supplementum scripsisse, quod Episcopis omnino aequales fecere, ut sic numero dimicantes, numero morigeros Ecclesiae Episcopos vincerent. Quod idem virus cum in Civilem Constitutionem a Galliae Comitiis concinnatam, Jansenistarum molitionibus, irrepsisset, dete-

 xit,

xit, ac damnavit Fidei Aſſertor acerrimus Pius VI. datis in hoc argumentum ad Card. Rupefolcadium, ceteroſque Galliarum Antiſtites doctiſſimis literis Apoſtolicis. Haec omnia deliramenta falſa omnino pronuntiamus, ac ſi quid poteſtatis, ac juriſdictionis in Synodis etiam Oecumenicis Presbyteris aſſerimus, id omnino Eccleſiae largitati, ac conceſſioni acceptum ferimus, quae gradum conſiderans, quem in Hierarchia Presbyteri obtinent, juriſdictionem illam radicalem, incompletam, ſubſidiariam a Deo immediate collatam, de qua ſaepius ſupra, illam perficere, complere, augere benigne dignata eſt, & nonnunquam deciſivo cum ſuffragio, quod & a Gerſone traditum vidimus verbis in Parte 2. allatis, niſi hallucinamur.

Quae huc uſque modo deduximus, ad Catholicae Fidei normam exacta cenſemus, nec a ſaniorum Theologorum ſententiis abhorrere. Verum quoniam anceps eſt locus, Eccleſiae judicio, quae columna eſt, ac firmamentum veritatis, omnia plane ſubjicimus.

FINIS.

AMICO BENEMERITI

B. B.

Jura Sacerdotj dum prima ab origine ducis,
Et vera illius munia quemque doces;
Nil niſi communem Cleri jam poene labantis
Cauſam agis, in proprio quem cupis eſſe gradu.
Hinc tua, Vincenti, perdocta, ac plena nitoris
E Clero quiſquis carpere ſcripta volet,
Se certe aut Latii prodet ſermonis egenum,
Aut proprii ignarum juris, & officii.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag.	verf.		
9.	19.	Corinthiorum	Cerinthianorum
11.	37.	fe	fed
19.	32.	tercentos	trecentos
29.	12.	*minus*	*manus*
32.	19.	Presbyteri	Presbyterii
32.	21.	*Clerici*	*Cleri*
42.	25.	ficut	fuo
44.	6.	una	unaque
61.	18.	apprime	firmando apprime
67.	3.	Nicenae	Nicaenae
78.	20.	Num	Nam
82.	10.	viam	vitam
83.	11.	Ecclefis	Ecclefiis
85.	18.	Presbyteris	Presbyteri
86.	17.	fociatis	focietatis
92.	15.	Catalauneufis	Catalaunenfis
92.	21.	*epiftola regia*	*epiftolam regiam*
93.	8.	Quum	Quam
99.	9.	cum praefcriptum effet	praefcriptum erat
103.	36.	nonnullos	nullos
104.	4.	fynodum	fynodos
121.	7.	abs re	e re
126.	28.	Congas	longas
130.	36.	ed	fed
133.	24.	hypotheace	hypothecae

Admodum Rev. Dominus D. Cajetanus Carcani S. Th. Prof. revideat, & in scriptis referat. Die 24. Martii 1797.

CAJETANUS EPIC. COMUN. V. G.

FRANCISCUS ROSSI CAN. DEP.

Eminentissime Praesul.

IN perlegendo Opere, cui titulus *Munera ac jura &c.* non modo nihil quod sacra Religionis jura proscinderet, deprehendi; verum omnia ad rectissimam ejus normam, atque ad integerrimam morum disciplinam exacta, & absoluta occurrerunt. Adhaec Cl. Auctor non imi subsellii sese probat tum in Canonum sanctionibus rimandis, tum veterum Patrum testimoniis pensitandis; qua duplici veluti ὑποβάθρα vetustam Presbyterii dignitatem, ac praestantiam constabilire adnititur, & susceptam provinciam strenue exornat. Cum igitur ab hujusmodi labore quam maxime in rem Ecclesiasticam commoda abunde sint profectura, opus jure typis mandandum censeo. Datum Neapoli Decimo Kalendas Junias 1798.

Eminentiae Tuae

Humill., & Addictiss. famulus

Cajetanus Carcani.

Attenta relatione Domini Revisoris, imprimatur Die 25. Maji 1798.

CAJETANUS EPISC. COMUN. V. G.

FRANCISCUS ROSSI CAN DEP.

Reverendissimus Dominus D. Nicolaus Canonicus Ignarra in hac Regia Studiorum Universitate Professor Prim. vigore Regalis Diplomatis diei IV. mensis Martii infrascripti anni revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ut ante publicationem revideat, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat potissimum, si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonis moribus, ac Catholicae Religioni adversetur. Referat insuper si opus idem publicae non solum utilitatis, sed etiam decoris fore intueatur, & cum relatione autographum ad nos trasmittat. Datum Neapoli ex Aedibus nostrae Residentiae die XI. mensis Martii 1797.

FR. ALB. ARCHIEP. COLOSS. C. M.

Opus inscriptum : *Munera ac jura Presbyterii per omnes Ecclesiae aetates deducta* a strenuo atque eruditissimo auctore elaboratum diligenti opera perlustravi. nihilque ibi offendi, quod cum juribus Regiae Majestatis colliditur, quamobrem typis vulgandum posse censeo.

Nicolaus Canonicus Ignarra.

Die 15. mensis Decembris 1797. Neap.

Viso rescripto S. R. M. sub die 11. proximi elapsi mensis Novembris currentis anni, ac relatione Rev. Can. D. Nicolai Ignarra, de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majestatis &c.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris; Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmatur quod concordat servata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione, servetur Regia Pragmatica. Hoc suum &c.

TARGIANI. PECCHENEDA. BISOGNI.
V.A.R.C.

Ill. Marchio Mazzocchi P. S. C. & ceterarum aularum Præfecti impediti.

Ammora.

Izzo Canc.

Reg. fol. 24. at.

GIUDIZIO

DELL' ILL. E REV. MONSIG.

D. EMILIO GENTILE

VESCOVO DI ALIFE

Sopra l'Operetta presente.



PRESBITERIO.

NEi secoli migliori niente poteva farsi dal Vescovo senza il Presbiterio nelle cose di maggior importanza: e perciò ciascuna Chiesa avea il suo Senato composto di Vescovo, di Preti, e di Diaconi della Città Episcopale, che si diceva *Presbyterium*, *& Synedrium*, e S. Ignazio Martire, scrivendo ai Magnesiani, lo chiamava *Senatum Apostolicum*, e scrivendo a' Tralliani *Consistorium Sacrum*. E perciò li Preti negli antichi monumenti della Chiesa si ritrovano scritti *Præpositi*, *Præsides*, e *Antistites*. Non era ignota anche prima questa voce *Præsbyterium*, perchè l'avea usata S. Paolo nell' *ep. I. a Tim.* Erano allora quelli del Presbiterio col Vescovo al dir di S. Girolamo nel *Comm.* alla lettera dell' Apostolo a Tito come li 70. Giudici con Mosè nell' antica legge.

In questo Presbiterio, ch' era formato a modo di semicerchio, come il nostro Coro, sedeva in mezzo il Vescovo in luogo più alto, attorno sedevano li Preti, e li Diaconi stavano in piedi. Li Preti avevano li ministeri più nobili nella Chiesa maggiore del

del Vescovo, e nelle Chiese inferiori come delegati, prima d'istruirsi li Parrochi, ch'ebbero poi la facoltà ordinaria, li quali Parrochi dall'istesso Presbiterio furono prescelti.

Cresciuto il Clero nei tempi susseguenti, furono dal Vescovo eletti per lo Presbiterio alcuni solamente del Clero. Ed a questo Presbiterio detto altrimenti Senato, o Consistorio, spettava la Prefettura, e la sollecitudine nel governo della Chiesa anche dopo la morte del Vescovo, come ora l'ha il Capitolo della Cattedrale successore di quel Presbiterio, detto *Clerus Ecclesiæ* a differenza del Clero in generale. Anche la Chiesa Romana ha avuto, ed ha tuttavia il suo Presbiterio, o sia Consistorio, che ora si compone dal Papa, e dai Cardinali Vescovi suburbicarj, dai Cardinali Preti, dai Cardinali Diaconi, secondo li diversi titoli delle Chiese, alle quali sono incardinati.

Passò quindi l'autorità del Presbiterio al Capitolo della Cattedrale nella età posteriore, che sembra fosse stata il Secolo XI., dopochè li Titoli de' Beneficj, e delle dignità per la nuova disciplina, già introdotta circa il Secolo IX., e X., furono conferiti separatamente dall'Ordinazione, che prima si ottenevano nell'istessa Ordinazione, onde nell'antica disciplina *aliquando absolute Beneficia vocabantur Ordinationes*; come scrive l'eruditissimo Francesco Florente in *Oper. jurid. Tom. 2. ad lib. 3. Decretal. tit. 5. pag. 195. in præfat. verf. Canonice vero*. Perciò il Capitolo della Cattedrale in corpo precede tutt'i Corpi Ecclesiastici, e gli Abati medesimi; e li Canonici da Innocenzo III. nel *cap. sede vacante de Rescript.* si dicono *Clerici primi Ordinis*.

Il detto nuovo Presbiterio, cioè il Capitolo della Cattedrale, negli antichi tempi non era addetto al Canto, il quale si adempiva da quelli, che si dice-

cevano *Cantores*, ed erano Chierici inferiori; e si assunse poi dal Capitolo per un' uso santo, prescritto anche dai Sagri Canoni, inferiore però all'officio nobilissimo dell' antico Presbiterio. E questo officio di Cantori è rimasto in Roma presso li Canonici delle Basiliche principali senza Presbiterio, che si forma; come ho detto, dal Papa, e da' Cardinali.

Francesco Florente nel luogo citato, Bingamo *lib.* 2. *Orig. Eccles. Cap. XIX.* §. 14., *Van-Espen. in Jur. Eccl. univ. Tom. I. P. I. Tit. VIII. Cap.* 1. *e* 2. Cabassuzio nella Notizia *Eccles. del Sec. II. Dissert.* 8. *p.* 40. *e* 41. E brevemente, ma eruditamente ne parla anche Cavallaro ne' suoi dottissimi elementi del Dritto Canonico *Part. I. Cap.* 17.

Non dicono un errore dunque li Parrochi secondo l'antica disciplina, allorchè nel tempo medesimo erano Parrochi, e Canonici. Ma nella nuova ha ragione il Capitolo della Cattedrale, secondo la qual nuova disciplina il Presbiterio, come ho detto, si forma dal Capitolo della Cattedrale col Vescovo; sebbene non con quella unità antica di capo, e membri, che col passaggio del tempo si è sciolta, onde molti negozj dipendono ora dalla sola autorità del Vescovo, altri ricercano il consenso, ed altri il consiglio del Capitolo, come ben dice il Dottissimo Autore dell' Opuscolo, scritto con somma erudizione, ed accuratezza.





